




HIPPO-
CRATIS.
1534.











29495





# HIPPOCRATIS COI DE natura humana liber, cum duobus commẽtarijs Galeni.

Eiusdem de victus ratione salubri liber, cum Galeni commentario.

Hermanno Cruserio Campensi interprete.

PARISIIS
Apud Simonem Colinæum
1534

M Piedra

Ex Libris Thadej
Collan ligbenj

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI NICOLAO A LOTHAringia, Metensiũ pastori, clarissimi principis domini Antonij Lotharingiæ ac Barri ducis filio, domino suo indulgentissimo Hermannus Cruserius Campensis S. D.

QVãquam natalium tuorũ splẽdor, résque tuorum maiorum buccinã mihi subministrare ad te meis scriptis celebrandũ possint: eóque me etiam admoneat, quæ inter nos est, vicinitas, quæ me deuincire tibi vnice debet: atque id ipsum obseruantia atq; pietas aduersus meum principem mea tui Clarissimi patris auunculum

postulet:nihil tamẽ in omnibus ornamentis tuis, quæ sunt summa, perinde ac incredibilem supra ætatem sapientiam cũ summa coniunctam modestia suspicio. His cũ tantum studium literarum accedat, quantum & facile perspicere ego, atque accipere ex tuo doctore viro singularis humanitatis simul ac eruditiõis Ioanne Nouilleo potui, longius me non continui, quin si expromere quid ex me, quod te non sopitũ quidẽ & segnem impelleret, sed quasi currentem incitaret, valerem: id nunc tui auspicio nominis, quod salutare spero multis fore, in lucẽ producerem. Enimuero quib⁹ illustrissime Princeps vel deus maioribus te dotibus ornare, vel laudibus ego prædicare potero, quàm illis? Nam generis

quidem ſumma claritas à maio ribus tibi, maximáq; potẽtia par ta eſt. *Si* genus paternum reſpi-cio, in tuis imaginibus multi ap parẽt reges, qui magnã quõdam orbis terræ partẽ tenuerunt. Ho rum enim virtus non in Europæ ſe curriculo continuit, ſed & in Aſia eluxit. Quod regnũ Palęſti næ atq; *Siciliæ*, quæ veſtra olim fuerunt, teſtantur. In Germania clariſſima quæq; familia è vobis repetit originem, vt hoc confeſ-ſum ſit, longe veſtram domum ampliſſimam eſſe, quæ tum ſua ipſius gloria nititur, tũ regis Gal liarum atq; regis Arrogoniæ cu-mulatur ſplendore. Denique hoc magnitudo nominis veſtri aſſe-cuta eſt, vt cũ reges ſint, qui do-minum agnoſcant: Lotharingia extra ordinẽ vna & quidem du-

catus nulli9 ſubdita imperio ſit. Dux ipſe ſibi imperator, ipſe ſibi rex eſt. Leges, quas probauit, ſancit: eaſdẽ, ſi è re viſum publica ſit, abrogat. Quid genus maternũ, num impar eſt? Quod ego non altius repetã, quàm ab auia tua Philippa florẽtiſſimi Gelriæ ducis ſorore, & matre tua Renata ex gẽte clariſſima Borboniorum. De quibus, quia meæ memoriæ æquales ſunt, & accipere quàm fuſiſſime, & dicere quàm veriſſime potero, ne ſi res in hũc locum ab noſtro ſeculo remotas infarciam, verſari in anguſto videar, & vt tuũ nomen celebrem, ex annalibus prȩconia accerſire. Et quidem cum campus ille amplisſimus ſit, ĩ quo excurrere cuiuis longe latéq; liceat, ſi exilibus eum his ſeptis ſtatuam limitare,

ineptus ſim. Nam ſi omnia tui
generis ornamenta excutere in-
ſtituam, non argumentum me,
ſed deficiet tempus. Atque vt ad
Philippã reuertar, tametſi, quo-
quo me vertam, lumẽ natalium
tuorum aciem pręſtringat meo-
rum oculorum: haud mediocris
tamen ex illius ſplendore ad ve-
ſtrã claritatẽ facta acceſſio eſt.
Quis enim hac ætate eſt duce
Gelriæ belli gloria maior? Qꝫ
paruis ille copijs quãtas res geſ-
ſit? Huius cũ ſit ſororis filius ſe-
reniſſimus parẽs tuus, vnà cũ re-
liquis hæreditas illi veniet huius
laudis. Iam quid Philippę virtuti
bus eſt celebrius? Et ne hic longi-
or ſim, ad matrem venio tuam.
ad quam cum vnam redeat Bor
boniorum claritas, quid eſſe illa
poteſt illuſtrius? Prudentia vero,

& dignis principi fœmina actis
viro concedit nulli. Quare cum
hoc loco natus illustrissime prin
ceps sis, patrémque habeas pacis
artibus clarissimũ: Patruum Car
dinalem, vt nihil aliud dicam, ve
lut Philoctetem quendam, Gal-
liarũ regis gratissimũ comitem:
Alterum patruũ ducem Guisiæ,
rei militaris ita peritũ, vt eluce-
re in eo solo prisca Gallorũ for-
titudo & animus videatur: Hoc,
inquam, cum loco ortus sis, nihil
deesse tibi ad summam amplitu
dinem potest. In id tamen tibi
etiam atque etiam incumbendum
est, vt par esse huic à maioribus
tibi traditæ gloriæ, eámque susti-
nere valeas. quod assequi, nisi du
abus rationib⁹, nõ poteris. Qua-
rum altera cũ delata ad fratrem
tuũ Marchionem sit, belli & pa-

cis arbitrium, tibi via eruditionis supereſt. Eſt hæc quidem ardua valde & aſpera, ſed, cum ad verticem vẽtum eſt, multo illa præclarior tamen, nobiliórq́ꝫ. Nam quotuſquiſq́ꝫ vel ſummorum virorum, qui aut foris fortes, vel domi prudentes fuerunt, niſi doctorum hominum ſcriptis illius acta commendata atque conſignata eſſent, ad noſtram perueniret notitiam? Itaque quòd ipſi adhuc viuãt, & in ore hominum verſentur, id literis vniuerſum referũt acceptũ. Multi enim etiam magni viri fuerunt, qui cum ſua facta, qui literis cõteſtaretur, requirerẽt, vna cum morte gloriæ fructum amiſerũt. Non ergo minus perhibendi ſunt, qui omnem induſtriam ſuam atq́ꝫ operam in ſapiẽtię ſtudio poſuerunt, quàm

qui res præclaras gesserũt. Ita in hac tua palæstra si sedulo lucteris, facies, vt non clarus tantùm maiorum tuorũ rebus gestis sis, sed & tua ipsius virtute tuis posteris præluceas. Quo aspiraturum te aliquando mihi, multa sunt, quæ ostendãt. Primum modestia tua. Deinde quòd iter hoc tam strennue te videam ingressum, tantúmq; iam fecisse profectum: tũ verò q; ei creditus magistro sis, cuius & vox literis, & vita te morib9 tingit. Quã spem præter cætera cõfirmat locupletissimus thesaurus, singularis tua memoria. Magnum autem præsagium in te sapientiæ ex eo capio, quòd mores in ista ætatula grauissimos animaduertam, nec vocem nisi in loco, & prudentissimã, nullã mittas. Nempe hæc

magni & veri principis incuna-
bula ſunt. Itaq; ea iam apud om
neis de te eſt opinio, vt medio-
cre de te nihil expectetur. Ex tu-
is rudimentis incredibilem ſum-
mam pręſagiunt. Animaduertis
pro tua indole Clariſſime prin-
ceps, quàm grauis tibi aduerſa-
ria parata ſit ſingularis de tuis
virtutibus exiſtimatio, quam tu
facillime iſtis artibus vitæq; in-
ſtituto vinces: atque ſi ſtatueris,
quarũ laudum fructum iam ca-
pere cœperis, quibus artibus eæ
laudes retinentur, in his eſſe ela-
borandum. De qua ſententia fu-
ſius diſputarem, niſi tua ſponte
eò te propenſum cernerem. Nũc
mihi, quia longius hæc epiſtola
progreſſa eſt, viſum eſt finem fa
cere. Neque enim hoc agere vo-
lui, vt infinitas laudes tuas, parẽ-

túmq; tuorum in has angustias contraherem. Sed, cum tuæ benignitati sim deuinctissimus, mei officij duxi esse, vt quæ omnium de te opinio sit, tibi declararem, tantóque in isto literarum perferendo sudore esses alacrior. Mihi vero studij erga tuam dignitatem mei hanc lucubrationem esse testem volui, quam tibi clarissime princeps nũcupo, simúlque omnia mea officia, omnémque diligentiã ad tuã amplitudinem confero.

Vale Lutetiæ quarto Calendas Iunias.

# HIPPOCRATIS COI DE NATURA HVMANA LIBELLVS,

vnà cum commentarijs Galeni, Hermãno Cruſerio interprete.



Cripſi olim de elemẽtis ex ſentẽtia Hippocratis cõmentarium, quẽ cuidã, quo familiariter vtebar, peregre proficiſcẽti commiſi, ad illius me captum accommodans. Quæ igitur planè cognouiſſe illum perſpexeram, neqꝫ in capite libri demonſtraui, neqꝫ memini: quod tamen, vbi omnibus ex æquo, qui in librum incident, ſcribo, ſum obſeruare ſolitus. Qui cũ, haud ſcio quo pacto, in vulgus exijſſet, alterũ præterea non duxi ędendũ & in librum de humana natura enarrationẽ hac diſtuli gratia: ꝙ omnia quæ ad eam attinebant diſputationẽ, in illo antè ędito cõmentario, quem de elementis ſecundũ Hippocratem inſcripſi,

apertè declaraui. Nunc igitur, post-
eaquã familiares à me mei obtinere
ipsius quoq; Hippocratis libri enar-
rationem instituerunt, non tantùm vt
ea, quæ dogma requirit (id quod in
commentario illo antè feceram) sed
omnia ordine declararem: auspicãs
enarrare, illa primùm dicam, quæ in
libri de elementis secũdum Hippo-
cratem, principio prætermisi: quòd
ea certus essem, amicum non fuge-
re. Itaque vnum quidem & primum
Quid na- venit dicendum, quid φύσεως, id est,
tura. Naturę nomine denotetur: à quo an-
tiquorum Philosophorum nonnulli
cognomen traxerunt: & Physici, id
est, speculatores ventilatorésq; natu-
ræ sunt appellati. quorum de Natura
relictos libros si euoluerimus, quid
caussæ sit, cur istud dicam, perspicie-
mus. Explicare enim illi primã sub-
stantiã, cuiusmodi sit, vidẽtur: quam
non genitam, sed esse perpetuam au
tumant, corporibus, quæ ad ortum
vel interitum nata sunt, subiectam
omnib⁹: Deinde quę sua ratione ad-
sunt singulis, quæ generantur inter-

eũntq; : quorum cognitionem eorum quoq; cognitio consequitur, quę non sua ratione cuiq; singulariũ substantiarum accidunt. Qua ratione absoluitur institutio de cuiusque rei natura, vel si etiam eorum, quæ rei cuipiam adsunt, vnum aut alterum recenseas: ita etiam loqui homines solent, vbi de rei natura habēt sermonem. Quod & Poeta fecit, qui prius cum dixisset:

*Sic ait interpres diuum, præbétq; medelam* Homer⁹
*De terra euulsam, tũ naturã mihi mõstrat.* Odyss. x.

Mox subiungit:

*Nigra quidẽ radix, sed erat flos lacteus illi.*

Hoc pacto qui de herbis scripserũt, aut omnino qui de plantis, clare eorum, quæ sub sensum cadit, docent naturam: qualis quæq; sit, si tangas, gustes, olfacias, & videas, explicantes: quam porrò vim, vbi aut deuores, aut inducas extrá. In his enim rerum omnium sensilis natura posita est. At verò altera est his superior, & prima: cuius cum ego antè memini, tum Plato eum vult tenere, qui quicquam via parat, & ratio-

ne tractare: cuius tibi verba adscri-
Plato de natura.
bam: *Quid? tu animæ (inquit) naturam probe absq; vniuersi natura assequi te posse existimas? Quin (siquid Hippocrati credimus illi ex familia Asclepiadarum) ne de corpore quidem citra hãc rationem. Recte tu quidem Amice: faciũdum tamen est vt ad Hippocratẽ expendamus disputationem, cõsideremúsq;, num consentiat illi. Sane quidem. Quid igitur dicit Hippocrates & recta ratio? num sic?*

*Operæpretium est rei cuiusq; naturam considerare: Primum, simplex ne sit, an multiformis, cuius nobis comparare scientiam volumus, & eam facultatem, vt aliis illam tradere possimus. Deinde, simplex si sit, animaduertẽda illius facultas est, quam ad agendum habeat, aut ad patiendũ ab aliquo comparatam. At multas si formas habeat, his enumeratis, quod in vna hoc in vnaquaque videndum: ad quid scilicet faciũdum sit, aut ad patiendum ab aliquo nata.* Habes Platonis ex Phædro verba, quæ nominis naturæ significationem docẽt, & quanam est ratione & via ipsius cõtemplanda essentia. Huiusmodi vero libros illos omneis, quibus vete-

res Philoſophi de Natura titulũ fe- cerũt, comperies, Empedocles, Par- menides, Meliſſus, Alcmæon, Hera- clitus. Sũt qui non vnum modo, ſed plures huius conſcripſerunt cõmen- tationis libros. Aliqui etiam permul tos, vt Epicurus, qui perinde vt alij, initio inueſtigat, vnũ ne & ſimplex ſit, cuius inueſtigamus naturam: an ex aliquibus ſe prioribus ſimplicib⁹ conflatum: quæ veterũ illorum ſuc- ceſſoribus elementa vocare ſolenne fuit, Grãmaticorum exemplo in vo- ce vigintiquatuor conſtituẽtium ele mẽta, id eſt, ſimplices & primas par ticulas, quas in alias nõ diuidas am- plius, ſicut ſyllabas. Quippe de hac ſyllaba ſtra, ſi primum detrahas ele- mentũ ſ, nihilominus reliquam ſer- uare etiamnum ſyllabam tra integrũ eſt. Itidem ſi à tra primam auferas literam t, id quod huius reliquũ eſt, ra, diuidas licet. at tibi diſſecandæ li teræ a poteſtas amplius non datur: neque illam duobus tribúſve ſonis cõſtare, quod alijs multis vſu venit, commõſtres: verum eſt eius indiui-

Veteres Philoſo- phi, q de natura ſcripſe- runt.

Elemẽta.

ſus ſonus, non quãtitate ſimpliciter (vt alibi cum nos probauimus, tum vero aliorum Philoſophorum non paruus numerus) ſed ſola ſpecie. Sic & qui quatuor elementa corporum, quæ ortu & interitu tenentur, dicũt aerem eſſe, ignem, terrã, & aquam: quòd in plures etiam formas diſtribui ſingula nequeant, id in cauſa eſt, quam ob rem naturalis commentationis hæc conſtituant principia. Eſt enim prima corporum notio minimorum in quantitate: quam excipit altera in qualitate: vt in Vocis elementis planum fecimus. Vnde extitit inter naturales Philoſophos contentio: cum alij quantitate elementa corporum, quæ generantur & intereunt, particulas conſtituerint minimas, alij qualitate. Verum in libro primo de medicis vocabulis, quatenus ad dictionis elementi ſignificatum intereſt, nihil eſt relictũ: quemadmodum de Naturæ ſignificato, in quinto. Nos autem hoc loco nec nomina, nec ſignificata, ſed ipſas ſpectamus res, ex quibus minimis ſiue

magnitudine,siue specie,prima effi-
citur corporum genitorum structu-
ra: quæ Aristoteles & nos similaria Simila-
vocamus. Ex his altera nascitur cor- ria.
porum figura,quæ instrumẽtalia ap Instrumẽ
pellamus:vt manus,cruris,oculi,lin talia.
guæ,pulmonis,cordis,iocinoris,lie-
nis,renum,ventris,vteri,& id genus
reliquorum. cõflata enim est huius-
cemodi instrumentorum natura ex
primis & similarib9,quæ Plato etiã
πρωτόγονα,appellare cõsueuit. De ho πρωτόγονα
rum diuersitate vno iam volumine
disputauimus. Sed quo euadat illu-
strior clariórque hæc institutio,pau
cis etiam nunc de his dicam. Simi-
lare os est,atq; cartilago,& ligamen
tũ:similaris autẽ membrana,adeps,
caro,etiam illa,quæ musculorum fi-
bras,quæ item sunt similares, inue-
stit:tum quæ in visceribus est,quod
παρέγχυμα,hoc est, adfusionẽ voca- παρέγχυ-
re Erasistratus solet. Declarauimus μα.
autem mox ab operis eius,quo me-
dendi viã rationémq;, cuiuscemodi
esset,demonstrauimus,initio:vt per
indicationes cures similaria corpo-

ra, nisi cognoscas, vnumquodq; eorum simplex sit, an ex pluribus constet, non posse. Præterea, vtrum per se tota sint commista, an modò sese contingant. Ad hæc de Philosophis nõnullos docuimus, cuius est nationis Erasistratus, semirationales esse: qui cum partium morbis instrumẽtaliũ ratione medeantur, similarium morbos aut semel repudiant, aut curant experimentis. Plurimos etiam istorum, quid inter instrumẽtalium intersit & similarium morbos, fallit: sicut & de numero ambigunt vtrorumq;. Vos vero, Amici vnum habetis meorum cõmentariorũ de morborum differẽtijs: habetis autem & de medicinis non paruum volumẽ, quam medẽdi viam & rationem inscripsi. Sed quærunt hæc & alia, de nostri corporis natura declarationẽ, quæ hoc docetur libro. Quo magis istos mireris, qui librum de humana natura Hippocratis non esse germanum existimant, cæterum, vt vocare isti solent, adulterinum: quibus ea imposuerunt, quæ in hũc librum

Confutatio illorũ qui hunc librũ esse negant Hippocratis.

irrepſerunt ſuppoſititia: de quibus in his ipſis commentarijs plura verba faciam. Nũc quæ germanus Hippocratis liber, quæ item adulterinus continet, cõmemoraſſe ſufficiet: quę nominatim ſic habent. ❡ Prima huius libri pars, quæ vnum librum conſtituit, ad ducentos quadraginta verſus protenditur. atque hæc ex calido oſtendit & frigido, ſicco, & humido animantium eſſe genita corpora: ſimúlque docet de humorum natura. Proxima hanc pars varia eſt. Nam huius primum caput morbos diſtinguit, quos vagos vocant, à vulgaribus & peſtilentibus: propriámq; generis vtriuſq; curationem in vniuerſum indicat. Quę ſequitur, venarum diſſectionẽ explicat. Poſtea de morbis varia tradit. dehinc ſalubris eſt victus ratio priuatis deſcripta. Sub hac corpulẽtiſſimos qua ratione extenues, aut gracillimis corpus minuas. Poſt hęc de vomitionib⁹ agit. Per deinde breuis victus puerorum pręſcriptio, mox & mulierũ, poſtea exercitationes ſubeuntium. Poſtremo

Partitio huius libri.

ad finem eſt de cerebri morbis verſibus circiter decem, temere nullóq; iudicio adiectũ. Quare haud eſt obſcurum, librum hunc totum ex multis eſſe inſtructum & conflatum ad verſus fere ſexcentos, aut paulo minus productum: cuius primũ caput, vbi de elementis tractat & humoribus, artem prorſus Hippocratis ſequitur. Secundum item, quod ab vagis vulgares morbos diſcernit. At illud de venis inſecandis, quod ſuppoſitũ eſſe clariſſime tenetur, vitioſum eſt vniuerſum. Nam nec ijs cõſtat, quæ apertiſſima ſunt: & cũ ijs, quæ in ſecundo de morbis vulgaribus prodita ſunt, pugnat. Eorũ quæ ſequuntur, quædam irrepſerunt: de quibus, cum tibi librum interpretabimur, ſedulo cognoſcemus. Quædã verò præclara ſunt, & paucis verbis cõmode dicta, & cum Hippocratis arte coniuncta: vt quæ de ſalubri ſunt victus ratiõe diſputata. Hę tibi libri huius partes: Cuius quidẽ pars prima totius habet Hippocraticę artis veluti baſim. Vnde me quoſdam

demirari teſtabar, qui eam alienam ab Hippocratis ſenſo contendunt: cũ illorũ, quibus eſt perſpecta ars Hippocratis, maxima pars hunc referat librum in numerũ verorum, magni eſſe Hippocratis opus cenſens: Nõnulli eius eſſe diſcipuli, ſimul & in iuuenibus inſtituendis ſucceſſoris Polybi, quem in nullo videas ſuo libro ab Hippocratis placitis latum diſcedere digitum: vti nec illius filium Theſſalũ, Dij immortales quẽ hunc quoq; virum: qui tamen in patria, ſicut Polybus, non exegit ſuã ętatem: erat enim in Regis Macedoniæ Archelai familia. Ergo alij, vt dixi, Medici, dẽptis tamen paucis, prope omnes Hippocratis eſſe de humana natura librum crediderunt: adeóq; nec clam id Platonem fuit, qui in Phædro ſcribit id quod dudũ ante oculos propoſui elogium, cuius eſt initium: *Quid? tu animæ inquit naturã probe abſque vniuerſi natura te aſſequi poſſe exiſtimas? Cui (ſiquid Hippocrati credimus illi ex familia Aſclepiadarum) ne de corpore quidẽ citra hanc viam & rationẽ.* Hæc

Librũ de hũana natura Hippocratis eſſe.

Polybus.

Theſſal⁹ Hippocratis filius.

legisse temerarios istos nugatores oportebat, atq; in quo sit libro Hippocratis hæc à Platone commendata ratio scripta, cõsiderare: neq; enim nisi in hoc, quem in manibus habemus, de hominis natura libro inuenias vsquam. Deinde etiam alia singula, quorum meminit Plato: quæ ego tum in libris, quos de elementis secundum Hippocratem scripsi, docui: tum nũc vt declarem, accingor: quandoquidem ita vobis est visum. Atq; hoc etiam cum sermoni adiecero, ad enarranda huius libri capita progrediar. Posteaquã ille, quem de elementis secundum Hippocratẽ cõscripseram, liber in publicũ exijsset, viriq; eum literati omnes probauissent: certi homines studij humanitatis expertes, qui cum demõstrationem illic scriptam conuellere nullam valerent, licet certe hoc egerãt, inuidia rumpebantur, hoc esse ad calumnias factitandas ansæ duxerunt volumen non esse ipsius Hippocratis. Age verò non sit Hippocratis, nec ipsius Polybi, nec (si velint) esto

ſcriptus vnquam de humana natura liber, ex calido frigido, ſicco, & humido corpora noſtra demõſtrans facta eſſe. Vt vel hoc illis cõcedamus: hæc certe, ex his cõſtare corpora noſtra, Hippocratis eſt ſententia. Siquidẽ in libris ſuis germaniſſimis, non ſolum vbi morborum tractat differentias, clariſſime his principijs cõſtat: ſed & hoc illi in remediorum eſt rationibus inueniẽdis veſtigium. Morbi enim calore, algore, humiditate, & ſiccitate inter ſeſe diſtant. Curabis, ſi calidos refrigeres, humidos exicces: item ſi frigidos calfacias, ſiccos humectes. Præterea ante hæc naturas ipſas hominũ alias calidas, alias frigidas, has humidas, illas ſiccas eſſe exiſtimat. Sic ætates ac regiones eodémq; diſſidere inter ſe modo cẽſet: cum verbum de his nuſquam vllum Eraſiſtratus fecit, nec item alius illorum quiſquam, qui calorem acquiſititium eſſe, non innatum putant. Sic iam Hippocrates alia ſingula ad hæc principia reducit: quod non tuetur Eraſiſtratus. Quæ

Corpora noſtra cõſtare ex 4 elemẽtis Hippocratis eſt ſentẽtia.

causa est, cur naturaliũ operum quę-
dam minus inuestigarit: id quod in
naturalium facultatum commenta-
rijs ostendimus. Postquam vero ij,
qui præclaris omnibus oblatrant, de
libri queruntur longitudine, nil mi-
nus scribere, quàm cõmentarios nos
iactantes: horũ eis conuiciorum ma
teriam præcidere in animum indu-
xi, alio separatim volumine scriben
do, in quo coniunctam esse vbiq; cũ
Hippocrate meam sententiã demõ-
strabo: tum vt scripsit in libro de hu
mana natura, tum vt in alijs omni-
bus libris. Neq; verò clam me est, vt
faciunt in omnibus, quæ demõstra-
tione confirmamus, verentes æmuli,
quæ laudibus omnes prosequuntur,
sugillare, vbi aliqua reprehẽdo prę-
cepta quæ ad eos pertinent: item ne
nunc quidem eos ab ingenio suo re-
cessuros. Nam in libris, quos scribe-
re instituimus, his quidem vti Hip-
pocratem elementalibus propositis
calido, frigido, sicco, & humido, id
quod est, confirmabunt: non tamen
eum recte sentire. Cum vero ex his

conflata noſtra corpora demonſtrat, eam Hippocratis negabunt ſententiam eſſe: neq; enim Hippocratis librum eſſe de humana natura. Itaq; vt illi nullum habent modũ ſuæ malitiæ, ita nos, quæ ſingulis commentarijs propoſita ſunt, memoria tenebimus, illóſq; admonebimus. Ac neque cum per omneis, quos reliquit libros Hippocrates, cognitionẽ inuentorum elementorũ ſuæ arti ſubieciſſe fundamentũ demonſtramus, hoc negligãt, de veritate autem eorum quæſtionem habeant. Neq; cum de veritate cõmentamur, vel demõſtramus, confugiant ad ſententiæ illius conſiderationem. Sed num vera ſint quæ de elementis dicta ſunt, ſeparatim querant: ſeparatim item, an hæc conſtituit elementa Hippocrates. Hæc igitur duo in quæſtione verſantur: quorum prius cum in libro, quem de elementis ſecundum Hippocratẽ ſcripſi, tum in præſenti diſputatione explorẽt. Huc accedit cumulus, quòd viris non inconſultis prorſus videtur vbiq; ſuis ille, quæ

posuit, elementis consentire, atque hunc ipse conscripsisse librum.

QVi cõsueuit audire eos, qui de humana natura vltrà q̃ medicæ facultatis interest, dispu tant, huic certè hanc disputatio- nem audire non ex vsu est. Ne- que enim prorsus dico hominem aërem esse, aut ignem, aut aquã, aut terram, aut quid aliud: quòd minime vnum in homine inesse manifesto appareat: Sed hæc, q- bus placet dicere, permitto.

Ægre fieri videtur posse, vt, quan- tũ ex his verbis, quid interpretetur author, plane assequaris. ĩcusat enim illos, qui longius, ac medicinæ ratio postulat, disputationẽ de natura ab- ducunt. Longius abducere illos in- telligas, qui ignem, aquam, aërem, & terram humanæ naturæ esse ele- menta dicunt, nisi misceant elemen ta. præterea qui horum elementum vnum esse quiddam dicunt. Ad quo- rum prius prima species nos impel

lit:ſin attendamus diligẽtius, ad ſe-
cũdum accedimus. Nam ſiquis eos,
qui ex igni, aëre, aqua, & terra ſimul
commiſtis noſtra corpora conſtituta
eſſe exiſtimant, conueniat: vt aquam
in nobis, aut ignem, aut terram, aut
aërem oſtendant: quod ni commōn-
ſtrent, conuinci dicat: nę iniquam il-
le conditionem offerat. Quod perin
de eſt, ac ſi in medicamento Tetra- Tetra-
pharmaco meram tibi ceram oſten- pharma-
di, aut picem, aut adipem, aut reſi- cum.
nam poſtules: ſi id quis non poſſet,
non admiſſurus ex his illud conſta-
re. Simul enim cum quatuor miſce-
ri dicuntur, nihil quoque oſtenditur
integrum ex illis eſſe. Vtrunq; igitur
poſſumus in hac oratione intellige-
re. In ijs verò, quæ poſthac dicẽtur,
videtur ſecundum author conſtitu-
ere. Imò ſi diligenter animum ad-
uertas, in his etiam ipſis verbis, cũ
dicit: neq; enim aerem eſſe prorſus
hominem: non hoc affirmat, non eſ-
ſe prorſus in nobis aerem, nec item
ignem, aut aquam, aut terrã: ſed non
prorſus (πάμπαν Gręci dicunt). Hoc τὸ πάμ-
παν.

autem vocabulo non omnino signiſicatur, non autẽ nulla ex parte. Neque enim res, qua de agitur, à dictione prorſus tollitur vniuerſa: cæterũ quod in ea abſolutũ eſt & immixtũ, labefactatur. In qua etiam significatione Homerus vſus hac dictione πάμπαν videtur, apud quem eſt:

Homerus. οὐδ' ὅτι πάμπαν,
ἤθελε λάον ὀλίσαι ἀχάϊκον ἰλιόθι πρό. id eſt
*Non quia prorſus*
*Sub Troia voluit Græcorum perdere gentẽ.*

Iam & ipſe Hippocrates, cum dicit: *Morborum acutorũ non prorſus certæ ſunt prædictiones, neque ſanitatis, neque mortis.* Iouem enim inquit Poeta in Thetidis gratiam, magnam velle Græcorum ſtragem ædere, non delere tamen eos omnino. Hippocrates multa eſſe præſagia firma dicit, vt in cõmentarijs in librum præſagiorũ demõſtrauimus: at non omnia rectius intelligas. quod non minus, quæ ſequuntur, declarant, qui aerem humani corporis elementũ eſſe ſolum volunt, non ire in horũ ſentẽtiam Hippocratem: ſicuti nec in illorum, qui

terram ſolam,aut aquã, aut ignem: cum non vnum horum, ſed omnia ſint elemẽta. Rectius proinde etiam dictionem ad finẽ orationis,quando ambigua eſt in Amphibologiæ genere,quæ à diuiſione & compoſitione naſcitur, diuiſim legas : vbi ait, ὅτ' ἄλλο ὅδεν, ὅτι μὴ φανερόν ἐστι ἓν ἐὸν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, id eſt, neq; quid aliud: quod minime vnum in homine ineſſe appareat. Vbi ἓν ἐὸν, non vt qui priorem celebrãt interpretationem, opinãtur, vna eſt orationis pars: quę apud alios Græcos eſt diſſyllaba, ἔνδον: triſyllaba apud Iones, ἐνεὸν: ſed orationis duæ ſunt partes: altera nomẽ monoſyllabum: vt cum numerando dicimus vnũ,duo,tria: altera,quam nos ὄν, Iones ἐὸν duabus exprimunt ſyllabis. Oſtẽdemus nanq; infra,non his Hippocratem, quorum eſt ratio vnumquodq; quatuor elementorum in corpore contineri, ſed illis reclamare, qui vnum de ijs hominis naturam eſſe putant. At qua ratione,dices,Medicinæ ſepta hæc oratio tranſilit,qua quidam vnũ quodlibet ele-

mentum esse hominis naturam sta- tuunt: quòd hanc opinionem, vt ille ipse paulo infrà dicit, hominem nun quam sentire dolorē sequitur: Quod etiam si fatearis, vnum & quod me- deatur, esse sequitur. Cum vero tum quod doleat, tū quod curet, esse mul tiplex videatur, falsam esse orationē veritas exprimit. Inspiciamus itaq; singula quę dicta sunt in sequētibus capitibus, quonā illa modo astruat.

NEq; enim prorsus dico homi nē aerem esse, aut ignē, aut aquam, aut terrā, aut quid aliud: q minime vnū in homine ines- se manifesto appareat. Sed hæc quibus placet dicere, permitto.

Capito & Dioscori des libros Hippo- cratis de- prauarūt

Artemidorus, cui cognomē Capi- toni fuit, Hippocratis libros ædidit. quæ æditio, sicut illa propinqui eius Dioscoridis, non solum clara apud Imperatorem Hadrianum erat, ve- rum etiam nunc à non parum mul- tis satis probatur. Horū vterq; mul tis corrigendis, antiquā illam, quam solam, qui Hippocratis libros sunt

interpretati, agnoſcunt, ſcripturam immutarunt. Nam cum alia pleraq;, tum hanc nobis propoſitam orationem Capito inuertit, atque ad hunc modum ſcripſit: Neq; enim in vniuerſum aerem dico hominem eſſe, neq; ignem, neq; aquam. Hic nanq; poſteaquam nullum inuenit viri antiqui librum, qui terram eſſe ſolam elementũ aſtruxiſſet, ac ne apud eos quidem, qui eam opinionem magna vi ſuſtinuerunt, Peripateticos, quod ad huius opinionis faceret defenſionem, memoriæ proditum: quandam dictionẽ impudenter immutandam duxit. Præſtabat vero incuſare illos, qui ambitioſe inueſtigarunt, qui ille eſſet, qui ſolam terrã elemẽtum eſſe arbitrabatur. Cui ſimile eſt, ſi quæras qui eſſet, qui manũ luxatam ſupinam ligari volebat: qui calcaneum aliter, atq; Hippocrates, religari mã dabat: qui clauiculas, qui in exulceratis fracturis, vlceris nullam curam habuit, in illis autem elaborauit: aut qui inurẽdo humeri articulo non induxit ſuis locis cruſtas: aut qui eſſẽt,

quos in commentatione de ſpina reprehendit. Profecto multa dixit huiuſcemodi Hippocrates, & in libro de fracturis, & in libro de articulis, interim velut vno, īterim velut multis errantibus: vt etiā in libro de victus ratione in morbis acutis, vbi ſimul multos notat Medicos, ſcripſit hæc verba: *Non me latet ſecus longe, atq; res poſtulat, Medicos facere: quippe qui ab initio duos, aut treis, aut etiam plures dies fame cruciant ægros: deinde & ſorbitiones, & potiones exhibent.* Hi qui eſſent, hāc victus rationē qui præſcribebant, aperiāt nobis velim interpretes: Qui porrò, qui exiſtimabant pituitam ſolam eſſe hominē: qui flauam bilem: qui autem atram. Nam inferius hoc ipſo in libro de hominis Natura, eſſe dicit nonnullos, qui hęc aſſererēt. Quo rectius interpretes dixerint, nō omneis fortaſſis illos ſuas ſentētias ſcriptas reliquiſſe. Fieri etiā potuit, vt illi ſcripſerint quidem, at libri tamen incolumes non permanſerint.

Qua de cauſſa mł Atq; cauſſæ multę ſunt, cur fieri iſtud videas. propterea quòd de his aliqui

præceptorum æmulos non haberēt. Partim quòd dum viuerent, libros non æderēt: quibus vita functis exemplaria, quæ extabant, vnum fortassis aut alterū, perierūt. Potuerūt etiam eorum scripta, quòd essent contempta, neglecta esse, atque diuturnitate prorsus interijsse. Nam inuidi quidem certe sunt, qui aut supprimunt veterū monumenta, aut omnino demoliuntur. Quod quidam eo committunt, vt, quæ in eis scripta sunt, sibi ea attribuāt: aut si præclari quid tradiderint, q alienas opiniones scripserunt, id vt pereat. Athenis sane præclaras reperiūtur fabulas Comici & Tragici Poetæ egisse, quas modo desideramus. Atq; vt alias caussas omneis prætermittam, duas tantum, quæ Romæ nuper accidebant, proferam. Sæpe incensa templa, sæpe verò terræmotibus collapsa, aut alia ratione, cur multi nobis libri perierint, in caussa fuerunt. Male ergo antiquam scripturā Capito fuit corrigere ausus: cū ne hoc quidem addiderit, primum librarium potuisse

ti ātiquorum libri perierint

lapſum eſſe, qui pro alio aliud ſcripſiſſet. Male porrò etiam interpretes quidam de Xenophane mentiti ſunt: ex quibus eſt Sabinus, qui nominatim in hæc verba ſcripſit: Neq; enim prorſus aerem dico hominē, exemplo Anaximenis: neq; aquam, vt Thales: nec terrã, vt quodam loco Xenophanes. Quod nuſquam Xenophanes decernere inuenitur. Adeóq; ſuo ſe iudicio mentitum de illo Sabinus indicat, non autem ignorantia offēdiſſe: libri enim, vbi hæc ille decernit, nomen proferret. Nunc vero ſic ſcribit: Neq; terram, vt quodam loco Xenophanes. Iam Theophraſtus quidem in naturalium placitorum cōpendio, Xenophanis, ſi quod eiuſmodi tradidiſſet, decretum non præteriret. Illiúſq; ipſius Theophraſti libros, quibus naturalia placita in compēdium redegit, ſi hæc te lectio capit, legas licet. Quòd ſi veterum placita Medicorum velis cognoſcere: quos legas libros, vbi decreta ſūt medica cōtracta, aſſcriptos quidem Ariſtoteli, à Menone tamen eius au-

Sabinus de Xenophane mētitur.

ditore ſine controuerſia ſcriptos ha
bes:quocirca Menonijs quidam his Menonia
libris nomen dederunt.Neq; obſcu-
rum eſt vel Menonem illum,cũ om
nem curam & operam conferret ad
inueſtigandos,qui ſua memoria ad-
huc extabant,veterum Medicorum
libros,inde illorum placita collegiſ-
ſe.Nam illorum, qui iam intercide-
rant omnino:aut integri quidem e-
rant,in lucẽ tamen non prodierant,
qui ſcribere præcepta potuit?Atque
iſtis in libris non reperies aut bilem
flauam, aut atram, aut pituitam ne
ab vno quidem humanæ naturæ ele
mentum eſſe aſſertum. Sanguinem
vero etiã multi ab Hippocratis me-
moria eſſe ſolum in nobis videntur
opinari:vt huic primum noſtrũ or-
tum,deinde in vtero incrementum,
& à partu abſolutionem debeamus.
Atqui Hippocrates tamẽ haud mul
to pòſt ſcripſit,quaſi ſtatuerent qui-
dam pituitam, & bilem eſſe homi-
nem: non hoc ſcripturus, niſi in ea
ſententia quidam aut ſua ætate, aut
ante ſe fuiſſent.

ATqui mihi quidem non videntur, qui hæc asserunt, recte sentire. Nam cum idem sentiant, loquuntur tamen diuersa. Sed opinionis eandem collectionem faciunt. Aiunt enim vnum esse, quod est: ac id vnum esse & vniuersum: hic ignem, ille aerẽ, alius aquam, non nemo terram. Tum suam quisque opinionem cõfirmat testimonijs & indicijs, quæ nullius sunt momẽti. Quòd vero in eadem sunt sentẽtia, verbis autem dissentiunt, ea res arguit eos, quæ profitentur, non sane intelligere. Quòd quidẽ huic pręcipue perspicere licuit, qui illorum contentionibus interfuerit. Nam cũ ijdem viri in eadem corona inter se contendant, nunquã tamen in disputatione vnus treis ordine alios cõuicit: sed mo

do hic ſuperior eſt, modo ille: qui præſertim fuerit lingua volubiliore, magíſque ad turbam accõmodata. Quãquam qui ſuam, quã de rebus habet, opinionem rectam eſſe contendit, is merito rationes ſuas inuictas ſẽper prȩſtare debeat, ſi quidem plane intelligat, & recte exiſtimet. Sed hi homines, mea ſentẽtia, cum ſuis ſeipſi verbis diſputãdo, qua ſunt væcordia, circunſcribũt: tum vero Meliſſi ſententiã conſtituunt. Sed de his hactenus.

Agit, tanquam cum illis ſibi ſermo ſit, quibus cognita eſt diſputatio eorum, qui vnum elementum conſtituunt. Nam qui ignẽ dicunt elementum eſſe, ex hoc oriri cætera volunt, condenſato, coacto, & concreto: Si paulum denſetur, generari aerem: Si largius, aquam: Si autem extreme & plurimum, terram. Qui aquam & aerem, itidem pro ratione, qua ſpiſ-

Ratio eorũ, qui vnũ ex elemẽtis ſolum aſſerunt.

ſantur atq; liqueſcunt, cætera produ-
ci dicunt. Aiunt enim concretam a-
quam, terrã fieri: liquefactã, aerem.
Non aliter quàm aerem cõcretum,
aquam: fuſum, ignem. Itaq; eorum,
qui vnum quodlibet eſſe elemẽtum
conſtituunt, ex eo quòd inter ſe hæc
quatuor, aliud in aliud, transformen
tur, ratio dependet. Quapropter in
eadem illos ſententia eſſe dicit, atta
men non eadem profiteri. Hoc ergo
toto ſermone aperta illi cum ijs, qui
vnum tantum ex quatuor elementis
eſſe exiſtimant hominem, cõtrouer-
ſia eſt: eóſque errare dicit. Nam ꝙ
nihil demonſtrent, omnibus probãt.
Quippe qui de elementis vnum eſ-
Meliſſi ſẽtentia. ſe hominẽ non efficiant, Meliſſi ve-
ro ſententiam confirment: qui qui-
dem etiam eſſe vnũ elementum pu-
tabat, ceterum ex quatuor illis, aere,
terra, aqua, igne nullũ. Videtur enim
vir hic ſubſtantiam eſſe communem
quandam cõmentatus, quatuor ſub-
iectam elementis, à generatione &
interitu liberam: quæ à poſteris eius
Sylua. ὕλη, id eſt, ſylua, eſt dicta. non id ta-

men recte potuisse, atq; ordine probare. Atq; hanc ipsam substantiam vocat vnũ illud & vniuersum. Quod & ipsum quoq; falsum est. Neq; enim solum illud vnum corporũ est, quæ generantur, & intereũt, principium (quæ Melissi fuit opinio) sed præter id qualitates quatuor, extremum frigus, siccitas, calor, & humiditas: non tamen sunt hæc elemẽta, non solum cæterarũ rerum, sed ne hominis quidem: imò vero principia. Nam hoc apud priscos (quibus quid ab elemẽto principium distaret, non venit in mentem: quòd principia etiam elemẽti nomine appellari possunt) confusum erat. Verũ enimvero duæ res sunt aperte à se mutuo distractæ: Altera est minima totius particula: Altera, in quam mẽte hanc ipsam partiri minimam possis. Ignem ipsum verbi gratia, in duo corpora, vt ex iis temperatum commonstres, non discerpas. nec verò terrã, nec aquã, nec aerem. At cogitãdo potes, aliam esse illius, quod mutatur, essentiam: aliam item ipsius esse mutationem,

Quatuor qualitates nõ elemẽta, sed principia sunt.

Elemẽtũ prĩcipio qd distet.

Mutatũ à mutatio- ne distat.

consequi. Neq; enim idem est quod mutatur, atque eius mutatio. Quod mutatur, subiectum est: cum mutatio eius à qualitatũ efficiatur vicissitudine: cui cum insit summus calor, efficitur ignis. Ita euadit aqua, si ad id extrema humiditas accesserit. Eodem modo fit terra, vbi sua natura ab omni qualitate remotũ illud subiectum siccitate citra calorẽ imbuatur. Contrà aqua, cum humiditate.

Primum frigidum

Nam de primo quidem frigido non parua quæstio extitit, quæ nullũ medicæ facultatis operibus vsum præstat. Operæpretium autem facias, si perquiras: vtrum vnum simplex humanum corpus sit, an ex simplicibus quatuor constitutum. Quod & Platonis docuit oratio, & nos mox ab initio Methodi medendi. Attingemus autem iterum. Nunc subijciemus verbis iam propositis nobis, nõ ab his illum qui quatuor elementa, sed ab illis, qui vnum ex quatuor esse dicunt hominem, dissentire. Potior ergo erat sane in prima oratione lectio, quæ in pronuntiatione pri

mam aſpirat ſyllabam τὸ ἓν ἕν. Nam non eſſe vnum, ſed plura, quæ conſti tuant naturã hominis, declarat Hip pocrates: non vero ex quatuor ele- mentis eſſe quicquã in corpore ſyn- cerum: quod nunquam protulerunt, ne huius quidẽ profeſſionis deſigna tores: ſed vnum quid à quatuor illis ſeparatũ, quod eſt ex ijs compactũ, definiunt. Vt tetrapharmacum me- dicamentum neq; ceram eſſe, neque picem, nec reſinam, nec adipem: ſed vnum quid aliud ab ijs diſtinctum, quod ex his eſt omnibus genitum.

Duplex opinio eorũ, qui elementa cõmiſce- ri dicunt. Empedo clis opi- nio.

Iam vero hæc quoq; opinio gemina eſt. Nam quidã quatuor tantũ qua- litates inter ſe totas confundi, qui- dã ſubſtantias cenſent. Præterea an- te hos Empedocles ex immutabili- bus putat elemẽtis fieri naturã cor- porum compoſitorum, perinde in- ter ſe mixtis mutuo primis, ac ſi cõ trita exacte & puluerata æruginem, chalcitida, cadmiam, & miſy cõmi- ſceas, ita vt nullum de illis niſi vnà cum alio queas contrectare.

AT vero ex Medicis quidam hominem sanguinẽ esse, quidam bilem, alij pituitam dicunt.

Cõtra me dicos qui vno hũo re asserũt hominẽ constare.

Posteaquam superiori loco in Philosophos disputauit, qui aut ignem solum, aut aquam, aut terrã, aut aerem, naturam nostri corporis esse putant: hic se ad Medicos cõuertit, hos iuxta ac illos in errore esse demonstrans, qui aut sanguinem solum esse hominẽ, aut bilem, aut pituitam ducunt. Hic ergo quod in prima omnium oratione videbatur esse ambiguum, plane explicatur. nõ quatuor elementa ponentibus, sed vnum ex ijs solum, aduersari semper videtur. Atq; hic Medicorũ præteritur quædam opinio respondens Melissi, eorum qui vnũ esse hominem dicunt, quod dum mutatur, fit vnumquodque eorum, quorum meminimus.

IAm & hi eandem omnes subijciunt cõclusionẽ. Aiunt enim vnum esse, quod cuique appellare illorum libeat: porrò id cum

ſit vnum, formam & facultatem mutare à calore vel frigore coactum: & dulce, amarum, album, nigrum, & omnimodũ fieri. Verum mihi hæc nõ ſic habere videntur.

Et Medicos ait, qui vnum eſſe natiuum humorem cõfirmauerunt, inter ſeſe idem, atq; fecerunt Philoſophi, efficere, vnum hunc humorem, quem ponit quiſq; eorum, in cæteros conuerti docentes. Quæ vero ad ſuã quiſque opinionem aſtruendam adduxit, hæc ex humoribus quatuor nullum eſſe ſecundum naturam probant, ſed pro his alium priorem, ex cuius cõuerſione hi fiant, cuiuſmodi in medica ſpeculatione ſcitum conſiſtere, vt in Naturali Meliſſi, nequit. Itaq; quando vnum hoc mutari volunt caloris vi & frigoris, euaderéq; dulce, amarum, album, & nigrum, nullum iſti ex quatuor illis appellare vidẽtur. Quos confutans, non naturæ propriũ illud eſſe ait, ſed quippiam aliud, quod in hæc cõuertitur.

Dulce enim ſanguinem eſſe:amarũ, flauam bilem: album, pituitam: nigrum,atram bilem probabiliter dictam eſſe.in quæ trãſire illud vnum à calido & frigido impulſum dicit. Iam per id quod ad exitum eſt orationis adiectum,& omnimodum, ſaniem,quæ in morbis grauibus accidit,intelligit.Nam & æruginoſa apparet,& fuſca bilis, quam cæruleam appellant.Item rubẽs quædã,& praſina,necnõ aliæ,quas nominatim exprimere nequeas:maxime cum putridus ſit morbus.

MEa vero eſt ſententia:ſi vnũ ſit homo,nullo vnquam dolore afficiatur, neq; enim eſſet à quo doleret,vbi vnũ tantũ foret. Quòd ſi doleret etiã, neceſſario vnũ quoq; medicamẽtum eſſet.

Nuper ipſas rationes, quas adducebant,qui vnũ putabant eſſe hominem,conuellebat:probans non à demõſtratione tantũ, ſed à veri etiam ſimilitudine abhorrere.Nunc ipſam eorũ ſententiam, qui vnum eſſe ho-

minem existimant, euertit. Non est autē idem rationem confutare, quæ adducitur, atq; placitū falsitatis postulare. Est enim, cum placitum esse verum possit, licet commode ab aliquibus non sit defensum. At tū non ipsum placitum, sed eius reprehenduntur patroni. Hic ergo mittit eorum rationes, fert autem in quęstionem solum per se decretum, argumēto vsus vt validissimo, ita & breuissimo. Nam si vnum esset homo, eū nullus dolor vexaret. Qua ait ratione coargui simul, qui indiuisa, incompacta, & minima elementa statuunt. Specie nanq; vnum etiam est horum sentētia, quod reuera est. Sic autem primum corpus est appellatum, quod nec generatur, nec interit: quandoquidem reliqua ex illius compositione omnia oriuntur. Etenim quod ex his placitū proficiscetur, in perpetuorum illorum corporum certa cōformatione nostrā collocat generationem: vt Hippocraticum in quatuor elementorum temperatura: quod Aristoteles & Stoici

Si vnum esset homo, non doleret.

approbauerunt. Nam vnum simplex elementũ si esset, non sensurum dolorem ex eiusmodi elemento cõstitutum corpus, indicio esse ait, ꝙ aliud non sit, cui sit in id agendi facultas. Neque enim ex seipso quidem certe pati vnum illud corpus valeat. Et vt dolere ipsum donemus, ex seipso patiens: simplicem tamẽ fore curationem. Nam multa cum in eo non insint, multæ esse curationis rationes nequeunt.

AT vero multa habẽtur: quia multa in corpore insũt, quæ cũ præter naturam à se mutuo calfiũt, aut refrigerãtur, aut siccescunt, aut humescunt, morbos pariũt. Ex quo multę sunt morborum formæ, & multę quoque illorum curationes.

Nouissimis ante hæc verbis eos qui vnũ esse hominem dicunt, (quod nõ aliud est, ac si dicas: elementum ex quo constituitur homo, vnũ esse) ex absurditatibus conuicit, quæ sen

rentiam iſtam comitãtur. Siquidem nunquam doleremus : quòd aliud, quod afficiendi vnius illius facultatem haberet, non extaret. Deinde vt hoc concedamus, erit ſimplex, non varia curatio. Hoc ſermone ea explanauit, quæ prima demõſtraturus eſt eſſe, à quibus alia omnia oriuntur. Hęc ſunt calidũ, frigidũ, ſiccũ, & humidum. quę vbi modice ſunt mutuo temperata, ſalubriter degit animãs. Sin autem ſeſe mutuo calfaciant, refrigerent, exiccent, humectent, ad dolores inferendos natura comparata ſunt. qui non vno curantur modo medendi: cum quoſdam illorũ, partibus dolentibus calfaciendis, quoſdam refrigerãdis, aut ſiccandis, humectãdiſue depellas. Quibus in rebus plurimum elaboraui in libris de ſimplicium medicamentorum facultate, & in libris de medendi ratione & via. Nihil tamen cauſſæ ſit, quin etiam hic de his dicamus paucis. cũ clariſſime valeam oſtendere à calido nos & frigido: humidóq; & ſicco dolere atq; curari. Nam qui eſt, do-

A calido, frigido, humido & ſicco & dolor & curatio.

lorẽ qui non sentiat, vbi aspera hyeme in publicum prodire paret? qui, vbi feruente æstu? Qui autem sitiens nõ dolet? aut qui potu vuidus? cum sitis oriatur, vbi desiccamur: immodica repletio contrarium pariat affectum. Atque inflãmatio autem, simúlque omnes dolorifici, & prȩter naturam tumores, interim ab exuberante humore in partẽ influẽte, constant: interim quòd humores præter naturam aut calidi sint, aut frigidi. Iam vero corpora quoq; nimia humiditate affluẽtia vacuatione curantur: præter naturam sicca, humiditate admota. Sic quod dolet à frigore, calfactũ: quod ab immoderato feruore, refrigeratum. Iam etiã omnia medicamenta calfaciendo, aut refrigerando, aut exiccando, aut humectãdo munus suum obire ostensum est: quòd hæ primæ sint qualitates agentes, corporúmque immutatrices: vti declarauimus in libro de elementis secundum Hippocratem. Quas comitantur qualitates, quæ in gustatu insunt. quarum

Qualitates gustatus.

ſunt nomina aſtrictio, auſteritas, a-
cerbitas, amaror, ſalſedo, acrimonia,
acor, dulcedo, & pinguitudo. Et co- Qualitates viſus.
lori quæ accidunt in albedine, nigri-
tia, rubore, & id genus alijs. Itẽ quæ Qualitates tact⁹.
tactui, in duritia, & mollitie, in fria-
bilitate, & lẽtore. Olfactus qualitates Qualitates olfactus.
totidem ſunt, quot guſtatus. verum
peculiaria vocabula non ſunt ſorti-
tæ. Nam odorũ in fragrantia & fœ-
tore differentia, recte ſane differen-
tia exiſtimabitur, dicetúrque multas
formas comitari. Habes ergo huius
ſermonis capita. Quorum pars in li-
bro de elementis ſecundum Hippo
cratem explanata eſt, pars in tracta-
tu de ſimplicibus medicamentis.
Vulgus vero in diſcendis demõſtra-
tionibus ſtudium ponere detrectat:
quę non cognouit, his reclamat prõ-
pte. Cõtrà ſtudioſi, & veritatis amã-
tes, omnem in percipiendis demon-
ſtrationibus induſtriam ponunt, nec
facile oblatrant.

CÆterum mea quidẽ opinio-
ne, qui hominem ſanguinẽ,

& nullam aliam rem eſſe cẽſet, is deberet demõſtrare eum non mutare formam, aut omnimodum fieri alio quopiam anni tẽpore, aut hominis ætate, qua ſanguis ſolus appareat ineſſe in homine. Veriſimile nanque eſt, eſſe aliquod certe tẽpus anni, quo id vnum in eo ineſſe appareat. Hæc à me dicũtur etiam in eum, qui pituitam eſſe hominẽ, & qui bilem ait.

Etiã hic in illos diſputat, qui vnũ eſſe hominem ferunt: quod à principio ſibi propoſitũ eſſe profeſſus eſt. Inter quos primũ reprehendit hos, qui ſanguinem aiũt eum eſſe. Potiſſimum valẽtes, inquit, homines ſanguinem in corpore ſolũ citra pituitam, aut bilem (ſiquidem natura ſit ſanguis ſolus in corpore) continere oportebat. Deinde ſi vel cõcedamus colligi interdum in corpore bilem, & pituitam: ætatem certe vnam aliquam, aut anni inueniri tempus, cũ

ſolus ſine alijs humoribꝰ inſit in corpore ſanguis. Eodem modo cõfutat eos, qui bilem vel pituitam volunt hominẽ eſſe, hoc eſt, naturam id ſolum eſſe: arbitrantes hac re primum etiam ortum ex hoc humore fuiſſe.

NAm quæ hominem ego eſſe affirmauero, ea & pro lege & natura, ætate tam iuuenili, q̃ ſenili, tum tempore tam calido, quàm frigido æquè ineſſe in illo demonſtrabo. Atq; ſigna etiam afferam, & neceſſitates adducã, propter quas quodque augetur marceſcítque in corpore.

Recipit omni ſe tempore elemẽta, quæ ipſe ponit, in corpore contineri oſtenſurũ, pro ætatibus & temporibus anni incrementũ & marcorem, id eſt, imminutionem recipientia. Pro lege igitur eſt, quod homines putant & arbitrantur. quam loquendi rationẽ priſci Græci vſurpare cõſueuerunt. Sic pro natura, hoc eſt, pro ipſa rerum veritate.

Marcor. Pro lege. Pro natura.

PRimum itaque necessarium est generationē eius nō processisse ab vno. Quonam enim pacto, quod vnum est, generare aliud posset, nisi cum quo commisceatur?

Nihil ab vno generatur.

Sane Hippocrates semper rerum euidētiam sequitur. quocirca etiam nūc dicit: nihil ab vno generari, nisi aliud accedat externum, quod temperamenti quoq; cum eo mediocritate cōueniat. Quidam verò Philosophi, qui Physici appellātur, decretum, nescio quo pacto, nouum & absurdū introducere sustinuerūt, quod naturalem speculationē euertit vniuersam. Nam qui vnū dicit esse vniuersum, oratione ista omnem tollit generationem. Si nanque vnum est, quod natum est, natum nō sit antè, vt neq; paulo pòst esset. Neq; enim Thales, neque Melissus, neq; Heracleit⁹ aut antè fuissent, aut nūc sint. Num ergo rectè hos viros nō fuisse dicas: aut fuerūt quidem, annósque non paucos quisq; eorum vixit: quo

autem tempore viuerent, nõ erant? an quòd essent illo tempore illi, admittemus: eos verò qui erant, non esse dicimus, cũ essent? Atqui si esse eos fatearis, fateberis quoque natos fuisse. Age verò, platanus, & lapis, leóq;, nonne quondam erant generationẽ experiẽtes & interitũ? Quòd si est eius, quod prius nõ erat, generatio: nõ potuit ea ex quadam subiecta substantia nõ fuisse: quam non posse sua sponte solam quicquã generare videmus. Plantarum quidem semina, vt queant aliquid producere, externũ postulant humorem, ac calorem moderatũ. Quòd si ad generandum sufficeret semen citra vllam aduentitiam opem, non differat fœtum, ne in paucos quidem dies, quin è vestigio expullularet. Atqui pleraque semina, nõ iam menses, sed annos etiã haud raro supprimi cernis. Non enim ex seipsis tantũ obtinent, vt producant, cæterum externum desiderant auxilium, quod non hactenus suo munere defungitur, si attingat modo: sed cum tangentis

Generatio quid.

vires in id, quod tangitur, permeant totũ. Iam si in fœturis alterari prorsus semen arborũ, herbarũ, & cunctarum plantarum videtur: multo apertius in animãtibus perspicitur, nihil ex mare solo aut fœmina, si absit coitus, posse quicquam generari.

DEinde nec quæ miscentur, generant: nisi sint eiusdem generis, eandémque habeant facultatem. neque similia nobis efficiantur.

Non tãtum ex vno nihil generari dicit posse, sed ne è duobus quidem, nisi cognata sint, hoc est, essentia sint cõiuncta, quę miscẽtur. Quod plane in animalium diuersarum naturarũ genitura cernitur. Verbi gratia, in equis & asinis, vulpibus & canibus. Generatur ex horũ coitu velut mixtum ex ambobus animal. Quorum verò natura à se mutuo magno distat interuallo, vt misceãtur aliquando, non tamen generare quicquam possunt. Quod porro ad finẽ est huius orationis adiectum: Neque simi

lia nobis efficiantur, huius libri interpretes quasi apertũ præterierunt, cum ſit obſcurum, aut incongrue à ſcriptore dictum, aut à librarijs deprauatum. Sed quod mihi ſignificare videtur velle, id eſt: Si etiam animal quod cum eo, qui cum coit, in genere non conueniat, quoddam eis tamen naturę dicit conſortium eſſe: neque ſimilia nobis efficiantur, hoc eſt, fœtura ex hoc coitu, animalibus ijs quæ ſe generarũt non fiet ſimilis. Potuit etiam hæc clauſula non ita fuiſſe ſcripta: Neq; ſimilia nobis efficiantur.

RVrſus niſi calidum frigido, & ſiccum humido, modo & æquabilitate reſpondeat, ſed alteri alterum lõge præſtabit, & valentius infirmiori, nihil generabitur.

Superius dixit nullius poſſe naturalem fœturam ædi, niſi ſint coëuntia eiuſdem generis. at vero nec horũ coitus genere inter ſe conuenientiũ generat neceſſario. Hanc autem

Sterilitatis in mulieribus caussæ.

diſputationem integre in Aphoriſmis expediuit, vbi ait: *Quæcunque frigidos habent & ſpiſſos vteros, non concipiunt. Et quæcunq; præhumidos habent vteros, non concipiunt. nam extinguitur genitura. Et quæcunque ſicciores feruidioreſque. nam alimenti difficultate tabeſcit genitura. At quæcunque ex vtriſque mediocrem habẽt temperationem, hæ fœcundæ ſunt.* His verbis docet, quibus de cauſis ſteriles fiunt mulieres. Oſtendit etiã id quod huic eſt conſequens, de quo cum nos aliàs, tum alij ante nos frequenter ſcripſerunt. Plato etiã meminit, non mediocrem artem eſſe dicens, qua viros & fœminas temperamento ad generandum inter ſe conuenientes coniungere ſcias. Nam de vteri temperamentis quæ dixit, hæc æque de genituræ temperamento intelligi debent: vt quæ nunc iuſto eſt humidior, aut alſior: nunc ſiccior, vel feruentior. Eſt autem vtero ſicciori familiaris humidior genitura, humidiori ſiccior: æque vt calidiori frigidior, frigidiori calidior. Sed de his plenius in libro de ratione puerorum

Cui vtero quod conueniat ſemen.

procreãdorum tractamus. Hoc loco ſatis ſit didiciſſe, nihil generari ex vno poſſe: nec vero è duobus quidẽ, aut pluribus coeuntibus cum gignatur, ni mutua inter ipſa familiaritas ſit, & tẽperamenti aliqua ex coeuntibus temperata mediocritas, poſſit hoc generari.

PRoinde quî veriſimile eſt, aliquid ab vno generari, cum nec à pluribus generentur, niſi mutuo tẽperamento conueniãt?

Alia quę hic agit, ex ſuperioribus patent. Nomen vero quod hic vſurpat temperamenti, quod κρῆσιος appellat nomine, memoria tenendum: quòd omnium, quorum memoria ad nos peruenit, primus Hippocrates commiſceri elementa docuerit: vt pauloante viſum eſt. Atque hæc illi res non conuenit cum Empedocle, qui non alijs atque Hippocrates ex elemẽtis aſſerit nos eſſe fictos, & corpora alia òmnia, quæ in terra ſunt: non confuſis tamẽ inter ſeſe, ſed fruſtulatim compactis, & ſeſe attingen-

Hippocratis & Empedoclis elementorũ conſtitutio.

tibus. Sed hanc sententiã ijſdem argumentis conuinci, ac illas, quæ ex inſenſilibus & impatibilibus primis corporibus ſenſile generant corpus, in cõmentarijs de elementis ſecundum Hippocratẽ oſtendimus. Quo in libro omnia propè dixerim naturalia decreta, quæ de primis principijs aut elementis extiterunt, attigimus.

CVm igitur natura eiuſcemodi ſit, cum omnium reliquarum rerum, tum etiam hominis, neceſſe eſt hominem nõ ex vna re conſtare, ſed vnumquodque eorum, quę ad generationẽ quicquã faciunt, talem vim in corpore poſſidere, qualem contribuit.

Docuit nuper Hippocrates, niſi calidum frigido, & ſiccum humido modice commiſceatur, generandorum corporum generationem fieri non poſſe. Nunc docet, etiam omnia corpora, quæ generãtur & intereũt, nedum homines ex ijſdem naſci. Ex

calido enim & frigido, ſiccóque & humido producta cuncta ſunt, icirco hæc etiam omnium eſſe communia elementa. Iam humanæ naturæ peculiaria elemẽta ſunt ſanguis, pituita, bilis tum flaua, tum atra, quæ tamen eius nõ recte propria eſſe dixeris, cum omnibus ſint communia ſanguinem habentibus animalibus. Clarum autẽ eſt iſtorum etiam vnũquodq; ex primis quatuor generatum eſſe: quæ qualitatum vocabulo humidum, ſiccum, frigidum, & calidum vocamus. Propria horum ſubſtantiæ nomina ſunt, ignis, vel aqua, vel aer, vel terra. Nã elementa à qualitatibus ſimplicibus & mixtis nomina eſſe mutuata, id latet neminẽ: cum extrema caliditas in igni inſit, ſicut in aere humiditas, algor in aqua, ſumma in terra ſiccitas vnà cũ conſtrictione & frigore. Qua igitur cauſſa adducti quidã humidum, ſiccum, frigidũ & calidum ab Hippocrate exiſtimant elementa conſtitui, vt quę in homine eſſe animaduertãtur: ignem autem, aquam, aerem, &

Animaliũ ſanguinẽ habentiũ peculiaria elemẽta.

terram, non recipi, eo quòd in hominis corpore nihil videamus horum? nõ intelligentes, quę apparẽt in corpore calida, frigida, ſicca, & humida, corporis eſſe oculis ſubiecti viſibilia elementa: quæ quis eſſe cõmunia corporum omnium elemẽta dicat? nemo ſanè vel infantiſſimus. poſteaquam dixit Hippocrates: Cum eiuſmodi igitur ſit cũ omnium reliquorũ, tum hominis natura: quî poteſt de iſtis, quæ in hominis corpore apparent, calidis, frigidis, ſiccis, & humidis ille nunc agere exiſtimari? imo de quatuor elementis, quæ ſummas habent, nec miſtas qualitates. ex quibus inter ſe mutuo temperatis omnia fiunt media corpora, quadam excellentia, non proprie calida, frigida, ſicca, & humida appellata. Nam ſi quæ iam commixta ſunt, ſtatuemus elementa: quæ ſummas qualitates obtinent, quid dicemus eſſe, me præterit. Dilucidi⁹ etiã proxima oratione ſuam mentẽ aperit, ad quã nunc nos conuertamus.

RVrſus cum hominis corpus demoritur, ſingula neceſſario ad ſuam naturam diſcedunt, humidum ad humidum, ſiccum ad ſiccum, calidum ad calidum, frigidum ad frigidum.

Homine de vita decedente ſecerni, inquit, ac recipere ſe ad ſuam naturam ſingula illa elementa prædicta, quæ calidum nominabat, & frigidum, ſiccûmq; & humidum: nuſquam dicens, ſanguinem ad mundi ſanguinem, pituitam ad pituitam, bilem ad bilem, arteriam ad arteriam, carnem ad carnem, venam ad venã, neruũ ad neruum, abire. verũ quod in his eſt ſingulis calidum, frigidũ, humidum, & ſiccum ad communia omnium elementa ſe conferre. Nam & neruus quidem ex calido, frigido, ſicco, & humido, ſcilicet elementis conſtat: non autem ex alio neruo. Sic nec vena ex alia vena. Etenim per ſe tota miſceri hęc, carnem, venam, os, arteriam, & cæteras parteis mente conſequi nequeas. Sed eſt eius ſentē-

Neru⁹ ex quatuor elemētis conſtat.

tia (si quam pauloantè dictorũ memoriam habemus) inter se omni ex parte temperari calidum, frigidum, humidum, & siccum. Proinde quæ clare sub aspectum veniunt in hominis corpore calidæ, frigidæ, siccæ, & humidæ partes, elementa non sunt humanæ naturæ: sed illa, ex quibus hæ conflatæ sunt & genitæ, aqua, ignis, aer, & terra: de quibus in libro de elementis secundũ Hippocratem satis multa verba fecimus.

EA est tum animãtiũ, tum cæterarũ omnium rerũ natura.

Hæc, inquit, est non hominis solũ, verum etiam omnium aliorum natura, ex calido scilicet, frigido, sicco, & humido simplicibus quidem & extremis temperata. Quæ enim in medio sunt omnia, ex his suum temperamentum consequuta sunt. Nónne ergo ab omni est ratione alienum dicere, ex medio ea quæ in medio sunt, temperari? quod isti non se animaduertũt dicere, qui ex ijs quæ in corpore conspiciuntur humidis,

ſiccis, calidis, frigidis noſtram natu-
ram cõtendunt conſtitutã. Iam mul-
to abſurdius erit, ſi & aliorum quo-
que cunctorum animalium, & ſtir-
pium naturã eſſe ex his affirmemus.
Hippocrates quidẽ hic aperte con-
firmat, etiam omnibus alijs eſſe hu-
iuſcemodi naturam. iſti vero quid di
cent, non reperio. Nam ſi ex conie-
cto in terrã ſemine fici, exempli gra
tia, procera arbor adoleſcat: inſani
eſt, non ex terra & aqua, ſed aliunde
dicere hãc naturam profectam eſſe.
At enim terra ſua natura extreme fri
gida eſt: multum autem habet calo-
ris ficus, quæ eam conſeruat, quomi
nus, cum per atroces brumas refri-
geratur, demoriatur. Conſtat ergo a-
quam tantum, & terram fici corpus
non cõſtituiſſe: quin igneæ etiã natu
ræ nõ eſt expers. Nec iam hoc obſcu
rum eſt, eam & naturæ aëreæ habere
partem. quando lignum eius manife
ſte non ſolum terra eſt, ſed & aqua
leuius. Conſtat ergo ex illis quatuor
ficus. Quòd ſi hæc, & eius certe fru-
ctus. Et fructus item vniuerſi. Sunt

Ficus ex quatuor elemẽtis conſtat.

Fructus omnes ex quatuor elemētis constant.

porrò triticum, hordeum, fabæ, & reliqua frugū semina, in fructibus, atq; idcirco ex quatuor illis conflata, terra, igni, aqua, & aere. Quia vero ex fructuum & plantarum cibo, qui in nobis sunt, humores proueniunt, profectò etiam hi primū principiū habebunt originis aquam, terram, aerem, & ignem. Sed vt dixi satis etiam hæc in libro de elementis secundū Hippocratē sunt demōstrata: itaq; ad aliud caput descēdamus.

OMnia similiter gignūtur, similitérque intereūt omnia.

Ne si diuinaret quidem quisquam non defuturos, qui se nō recte assequuturi sint, toties eandem sententiam pronuntiet, quomodo nunc fecit Hippocrates : omnia dicens, nedum hominem similiter & nasci & interire: ex quatuor, vt est declaratū, elementis, & non ex corporis partibus calidis, vel frigidis, vel siccis, vel humidis. At adeo quidam ad Græcam dictionem stupent, vt quod in corpore humano calidum, frigidū,

ſiccum,& humidum ſenſu cognoſci tur,omnium putent genitorum eſſe communia elementa.

EX his enim,quę prædixim9, omnibus eorum natura con ſtat:definitque,vt dictum eſt, in ea ipſa:& vnde eſt cõflatum, il luc quoque ſeſe recipit vnum quodque.

Conſtat in ſuo placito,omniũ naturam ex quatuor,quorum meminimus,conſtitui,in eáque deſinere cõfirmans.Vnde enim vnaquæque,inquit,res cõſtat, eodem etiam refert ſe,in cõmunia nimirum mundi elementa,terram,aquã,aerem,& ignẽ. Proinde nihil minus quàm Hippocratis ſenſum,& quod primo eſt dictum,aſſequuntur.Neqꝫ enim prorſus aerem dico eſſe hominem, neqꝫ aquam, aut ignem, aut terram, qui illud pro nulla ex parte accipiũt.Liquet enim hoc dicere Hippocratem nolle, communia elementa nulla ex parte in corpore humano eſſe , ſed reprehendere iſtos, qui vnum de il

lis asserunt solum.

CORpus autem humanũ continet sanguinẽ, pituitam, & bilem geminã, flauam & amarã. Et hęc illi sunt natura corporis, & propter hęc ægrotat, valétq;.

Expedito de cõmunibus elementis sermone, his verbis ad corporum sanguine præditorum, in quibus est homo, elementa orationem cõuertit. Nam ex sanguine, pituita, & gemina bile, primam oriri nostram generationem vult, & nostræ vitæ totum cursum ex his suppeditare, hæc denique vniuersam hominis naturã esse. Nam humores continentur in solidis partibus. Ipsæ autem solidæ in fœtus prima cõformatione ex his generantur. Omnes enim partes ex menstruo sanguine, non illo quidem syncero, sed duplicis participe bilis, & pituitæ, fictæ sunt: id quod non multo pòst docebit: Insuper ex his etiam sanitatem nobis, dolorem, & morbos accidere. quo hæc fiant modo, proximo capite docet.

Corporis solidæ partes ex mẽstruo sanguine sũt generatę

VAlet quidem pręcipue, cum ea inter se virtutem & copiã mediocriter habeãt temperatas, & potissimum si permista sint.

Omnium Medicorum pariter & Philosophorum, qui plane dogmatici sunt, consensu, sanitatem efficit elementorum iusta moderatio. Sed cũ sit duplex genere apud sectas ratione nitẽtes institutio elementorũ: altera applicatione, & primorũ corporum complexu generationẽ compositorum fieri: altera temperatura decernit. Prima itaque moderationem, pororum forma metitur: altera ratione bonæ elementorum temperiei nos degere salubriter statuit. cuius est sentẽtię Hippocrates princeps. Atqui cum duplex mediocritas sit, hæc'que in facultate eorum quæ miscentur, illa in quantitate cõsistat materiæ: vtranq; attigit Hippocrates. Dixit enim, & virtute, & copia. Quod in exitu orationis dictum est (& potissimum si permista sint) absolutam illorũ omni ex par-

Symmetria duplex.

te misturã declarat. Nam ad corporis statum vndequaque inculpatissimum, nõ modo quatuor moderatio elementorum, verum etiam eorum per tota mixtura requiritur absolutissima. In temperamentis verò corporis culpatioribus, est cum in aliqua parte non æque, aut similiter, aut mutuo per tota commisceantur humores. sed vbi hauddũ actionis est illustris offensio, est illa quidem culpanda sanitas, nondum morbus tamen.

Contrà laborat, cum eorum quicquam fuerit minus ampliúsve, aut in corpore secretum fuerit, neque cum omnibus confusum.

Vt insanitate exactam mediocritatem quantitati & facultati, misturæq; per tota tribuat. Ita in morbo cõtraria horum ponit, atque minus aut amplius ad quãtitatem materiæ & facultatem retulit. atque cum omnibus non esse confusum, ad intẽperiem, aut temperamenti inæqua-

litatem, aut quocunque nomine appelles.

NEcesse est enim, cum horum quid separatum sit, & per se stet, non solum ex quo excessit, locum morbo affici: sed etiã illum, vbi iam substiterit & influxerit, nimium affluentem, dolorem & laborem parere.

Vbi quispiam de quatuor humoribus solus aliqua in parte restiterit ab alijs semotus, neque sit cum illis per totos totus commixtus, dolet animal: quia vtraque iam pars, & vnde decessit, & ad quam se contulit, in intemperiem incurrit. Id quod ex humoribus validarũ virium potissimum vsu venit. Hi enim non quantitate tantum parti, in quam inuaserunt, graues sunt, sed & qualitate dolorẽ excitant, dũ magnopere aut calfaciunt, aut refrigerant.

ETenim vbi horũ quicquã de corpore effluit vltrà supernatans, dolorem adfert vacuatio.

Supernatans. Pro abundante intellige nunc dictum supernatans, aut si mauis, id quod non est cum cæteris omnibus commistum, supernatãs puta appellatum. Vtrũq; enim est probabile.

SIn autem intro vacuet, aut locũ mutet, aut sese ab alijs secernat, duplicem sanè necessario præbebit dolorem, vt dictũ est: & vnde abscesserit, & vbi exuperat.

Hoc esse ante dictum, ipse declarat. cum dicit, vt dictũ est. nam verbis, non re ab hac nunc recitata distat illa paulo supra ab eo scripta oratio, vbi ait: Necesse est enim cum horum quid separatum sit, & per se stet, non solũ, ex quo excessit, locum morbo affici: sed etiam vbi iam substiterit & influxerit, nimiũ affluentem, dolorẽ & laborem parere. Rursus cum dicit: Nam quæ hominem ego esse dixero, ea demonstrabo semper inesse pro lege & natura. Pro lege ait, hominum volens opinionem, quæ ijs est de his, significare. Pro na

tura, ipſam rerum veritatem. Quare ſequentia iam verba attendamus, quo videamus, num id, quod receperat ab initio libri, nunc præſtet.

DIco autem ſanguinem eſſe, pituitam, & bilem tam flauam quàm atram. Atque horum nomina primũ quidem lege diſtincta eſſe confirmo, & nulli eorũ idem nomen eſſe. Deinde natura formas diſcrepare, miniméque pituitã ſimilem eſſe ſanguinis, aut ſanguinẽ bilis, aut bilem pituitæ. Quî enim inter ſe ſimilia ſint, cum neque viſu, neq; tactu eſſe ſimilia cognoſcãtur? neque enim æque calida, frigida, ſicca, humida ſunt.

Cum aperta eſt eius omnis oratio, tũ quod inſtituerat, demõſtrat. Nam hic quatuor humores in corpore ineſſe inter ſe diuerſos oſtẽdit. Sub hæc ſecũdã naturã omneis hos eſſe, non eorum vnum. Verum in ſer

mone nunc proposito nobis differre humores mutuo, colore, crassamento, calore, & frigore dicit. Et sanè sic hæc se habere videntur. Fortassis autem offendit quosdam, cum humidi sint humores omnes, siccitate distare ab humore humorē. Qui eadem opera negent oportet nec humiditate eos differre, si quidē humidiorē alium alio esse fatemur: quod certe omnibus humoribus accidere videmus. Etenim flaua bilis sæpenumero euadit admodum humida: & fit eius tum non flauus, sed color pallidus. Haud raro crassescit, & vitellis ouorū fit assimilis. Vnde & nomen, vt Vitellina appelletur, apud nōnullos inuenit. At atra bilis, quàm pallida & flaua, semper est crassior. Imò illa seipsa multis modis est vel crassior, vel fluidior. Eadē sanguinis ratio est: qui eatenus interim est humidus, vt fluat: interim abūde crassus. Pituitæ eandem caussam esse, ac prioribus illis humorib⁹ videas. Variatur enim in crassitudine & tenuitate, atq; nūc aquosa est, nūc crassa,

Humores inter se siccitate differunt.

Diuersitas flauæ bilis.

Atra bilis

Sāguinis differentiæ.

Pituitæ, differentiæ.

vt puris imaginem referat. Habent hoc humores, vt quæ reuera elemẽta non ſint, ſicut aqua, terra, aer, & ignis. Nam iſtorum quilibet ex quatuor his, alio in alio eorũ pręppollẽte, oriũdus eſt: vt iam ſæpe audiuiſtis.

ERgo quãdo tantum inter ſe, & forma, & facultate differunt, neceſſe eſt ea non eſſe vnũ: niſi certe ignis & aqua vnũ ſunt.

Erat illorum quidem abſurda ſententia, qui vnum eſſe crederent hominem: videtur tamen in eam Hippocrates conſulto diſputare. Erant etenim fortaſſis eius memoria viri clari, qui iſtud placitum ſuſtinerent. Nam, quandoquidem veterum plurima ſcripta deſiderantur, multo eſt probabilius placita literis non mandata intercidiſſe, idque adeo cũ ſint, qui nulla reliquerint ſcripta, vt Socrates & Pythagoras: & ex illuſtribus noſtri ſęculi Medicis Quintus. Quo magis multos, dum ſuperſtites eſſent, illuſtres fuiſſe adducar, quorum cum interitu, vnà præceptorũ

Multi philoſophi nihil ſcripſerunt.

authoritas concidit. Cúmque Plato tot cõſcripſerit libros, attamen præter literis prodita, alia eſſe eius ſcita autumant eius diſcipuli, quæ non retulit in ſcripta. Vt autem diſcipulis decreta eſſe literis non teſtata affirmantibus fidẽ habemus: ita fuiſſe, qui vnam terram omnium eſſe commune elementũ, hominis autem bilem, vel pituitam dicerent, Hippocrati credimus. Equidẽ quoſdã hac quoq; tempeſtate alia ſcribere noui, quorum lucubrationes, partim vnà cũ ſcriptoribus iam interierunt, partim non multo poſt cũ ijs interibũt. De qua natione ille eſt, qui terrã ait omnium matrem, omnium eſſe nutricem, originem & elementum. Atque hanc etiam cælum genuiſſe (vt author eſt Heſiodus) & quæ in ipſa degunt animalia. Et ex Archigenis aſſeclis homo minime malus inductus erat, neque in ſpiritu adducendo in corpus ingredi aerem, neque egredi in aſpirando. Alius præterea elementalem humorem volebat pituitam eſſe. Itaque deſinamus illo-

Terram omnium matrem eſſe Heſiodus author eſt ĩ Theogonia.

rum nomina inueſtigare, qui inepta iſta decreta primi tulerũt. Nam Thaletem elementum ſolam aquam ſtatuiſſe, ex ipſius ſcriptis commõſtrare non valemus, at de hoc tamen ambigit nemo.

QVòd ea omnia vnũ nõ ſint, ſed ſuã habeat vnũquodq; facultatem, & naturam, vel hac re tibi cõſtare poſſit. Si enim cui homini medicamentũ exhibeas, quod pituitam ducit, euomet pituitam tibi. Sin medicamentum offeras, quod bilem agit, vomet tibi bilem. Pari modo bilem purgat atram, ſi medicamẽtum des, quod moueat atram bilẽ. Quòd ſi is aliqua corporis parte vulnus accipiat, vt fiat vlcus, illa ei ſanguinabit. Atque hæc tibi faciet omnia ſemper, tam die quàm nocte, hyeme & ęſtate, dum attrahere homo ſpiritum, & viciſſim poterit reddere : poterit autem,

dum aliquo horum priuetur cognatorum: Sunt autem, quæ diximus, cognata. quæ qui esse cognata infirmabit? Primum clare apparet, hominem dum viuit, ea omnia semper continere. Deinde vero natum esse ex homine in quo hæc insint omnia. preterea nutritũ in homine eadem omnia habente, quæ ego assero atque demonstro.

Superiore oratione aperte simul & vere hominem omnia in se continere, biles, pituitam, & sanguinem ostendit. Nunc non illud tantum, sed etiam ita esse natura comparatũ declarat: non vt quidam dicunt, vnum de illis. Omnino alia placita eorum, qui humorem vnum secundum naturam in corpore esse cõtendunt, facile conuelli possunt. Illorũ vero sententia, qui sanguinẽ esse volunt, non est leuis: sed vt conuincatur, magnæ est contentionis. Sed tempus est, vt de his agere instituamus, initiúmque

à verbis eius ſuperius factis, capia-
mus. Dicit autem ſic:

CÆterum mea quidẽ opinio-
ne, qui hominem ſanguinẽ,
& nullam aliam rem eſſe cẽſet,
is deberet demõſtrare eum non
mutare formam, aut omnimo-
dum fieri, aliquo anni tempore,
aut hominis ætate, qua ſanguis
ſolus appareat eſſe homo. Veri-
ſimile nanq; eſt, eſſe aliquod cer
te anni tempus, quo id vnum in
eo ineſſe appareat.

Quòd ſi huic diſputationi id, quod
hoc loco demõſtratur, adiungas, do-
gma Hippocratis omnibus ſuis nu-
meris abſolueris. Nam hic oſtendit
nullũ anni tale eſſe tempus nec æta-
tem, qua aliorum humorum exper-
tem poſſis hominem mõſtrare. Imò
etiam per purgationes. Si nanq; me-
dicamẽtum cui, quod aut bilem, aut
pituitam ciet, des: id cui ciendo eſt,
vacuari ab eo cernes: quod perpetuo
omneis contineri humores in corpo

re signum est. Huic argumento in- tercedunt quidam, non concedentes medicamentum purgans ex corpore familiarem humorem trahere, sed in quam natum est, conuertere for- mam. Hos falli, peculiari commen- tario nos, quem de purgantium fa- cultate medicamentorum inscripsi- mus, planum fecimus. Sed faciamus tamen, vt hoc etiam loco exẽpli gra tia vnum ex dictis in eo libro refe- ram. In ipsis enim artis operibus sæ penumero cõspexistis detectos, qui, quod vacuatur, à purgantibus medi camẽtis trahi non admittunt. Nam qui aqua illa inter cutem, quam vo- cant Asciten, laborant, aquã ducen- te sumpto medicamento, liberantur aquosæ humiditatis nõ parua copia, residitq; his ventris tumor. Quibus si medicamentum, quod flauam aut atram bilem moueat, propines, cum paucum sanè humorem vacuet, tum ventris eis moles tantũ absit vt resi deat, vt intumescat etiam amplius. E diuerso euenire ictericis ex obstru ctione iocinoris vidistis. aperto enim

antè viſcere medicamẽtis ea vi præditis, ſi medicamẽtum deinde, quod bili ciendæ eſt, detur, plurimum ſuperflui humoris vacuatur, & laborãs è veſtigio ab incõmodo vindicatur. His proportiõe ſcitis cõcinere, quos pituita, aut atra bilis ſolicitat. Plurimum ſiquidem moleſti vacuatur humoris, laborantes autem maximum cõmodum percipiunt. Quare ſi trahuntur à purgantibus ea, medicamẽta vero omni ætate & anni tempore purgant: perpetuo ſunt in hominis corpore quatuor humores. Parerat enim, vt eſt ante dictum, vnum certe anni tempus, aut ætatis hominis, quæ haberet ſanguinem ſolum, oſtendere: ſi quidem eſſe verum eorum placitum ponatur, qui ſanguinem ſolum humanam eſſe naturam aſtruũt, hoc perinde eſt, ac ex ſanguine ſolo fictas omneis eſſe eius partes, ſolóque ſanguine ſemper ali. At vero cum bifariam ſanguis dicatur: tum hic quem in ſanguinis miſſione & vulneribus euacuari videmus, vtriuſque bilis & pituitæ, vt docui-

Sãguis bifariã accipitur.

mus, participem: tum purus ille & integer, alijs humoribus non confusus. Ex ſanguine, priore ſignificato conformari fœtum fortaſſe verũ ſit: ex ſanguine, altero, non item. Nunquam enim ſolus ille in prægnantibus ineſt. Quid autem ſermoni fortaſſe adiecerim, non eſſe obſcurum vobis arbitror. In cõmentarijs enim de ſemine, corporis plerasq; partes ex ſemine apertum eſt fieri, cum ſolæ carnoſæ ex ſanguine fingãtur. At quatenus ſeminis parua eſt in vterũ deiecta moles, nutrit autem iſtud & amplificat ſanguis, hactenus corporis partes ex ſanguine prope omneis fingi dixeris. Pro eo vero, quod ex ſãguine ſemen genitum ſit, qui ex ſanguine fœtum generari dixerit, rem ipſam dicere videbitur. at nõ ex mero quidem ſanguine, & aliorum experte humorum, ſed ex eo, qui per excellentiam nomen id eſt ſortitus. Habes omnem propoſitæ orationis ſententiam: cognoſce iam ſingula in ea capita. Primum faciundum mihi eſt, vt cõmune non tantum Medico-

rum, ſed omnium etiam Græcorum inſtitutum aperiam, qui bilem ſine adiuncto, cum pallidam ſignificare, aut flauã volunt, nominãt. Nam hęc ambo nomina de vna humoris ſpecie vſurpari humiditate & ſiccitate differentes, dudum diximus. Reliquas quaſuis biles non ſine adiũcto proferunt, æruginoſam appellantes, aut atram, aut rubrã, aut praſinã. Ad hæc, alterum eſt in loco, quem nunc in manibus habemus interpretãdũ: cum ait: Dum attrahere homo ſpiritum & viciſſim reddere poterit. Apertum enim eſt, velle eum ſpiritũ, cum trahũt pneumatica organa externum aerem, adminiſtrari, & cum reddunt, aſpirationem.契 Supereſt tertium cum, ait: Dum aliquo priuetur cognatorum Vult enim non modo, vbi ſanguine priuatur, verum etiam vbi vel pituita, vel bile, flaua vel atra, mortem adferri animanti. Bilis.

QVi autẽ vna re cõſtare hominẽ aiũt, hi mihi propterea hoc ſtatuere videntur, quòd ex

ijs,qui haustis medicamẽtis in nimijs purgationibus animam egerint,hos bilem,illos pituitã euomere conspicati,putauerunt hominem eorum quisque illud esse, quod in purgatione morientem reijcere conspexissent. Eadem nituntur ratione,qui hominẽ dicũt esse sanguinẽ, quoniam cruorẽ, qui ipsis cernitur ex iugulatis hominibus manans,animã esse hominis putant. Hæc sunt, quibus omnes isti vtuntur in suis disputationibus,argumenta.

Qui dicunt, ex vna re corporari hominem:quasi multi dicerent,non vnus.Quibus igitur sunt adducti argumentis, qui ex quatuor humoribus vnum aliquem generãdo homini putarunt sufficere,ipse cõmemorat Hippocrates. quæ apud nos, vt dixi,leuia sunt, illis ea probãtur.Nã in nimijs purgationibus alium alius alio atq; alio prorsus euacuato hu-

more expirare videntes, vnum humorem illum hominis eſſe naturam crediderunt.

TAmetſi primum quidem ex nimijs purgationibus nullus dum mortuus eſt quiſquam, cui fuit ſola bilis purgata. Sed ſumpto medicamento quod bili mouẽdæ eſt, primum bilem, deinde pituitã, mox à bile atram etiam bilem & quidẽ per vim, tum demum ſanguinẽ etiam euomunt purum.

Hic iterum vſum Græcorũ aperte commemorauit, bilem ſæpe appellantiũ ſine adiuncto, flauam: atrã ſine adiuncto nunquam. Totius verò huius ſententia orationis aperta eſt: mori dicit vno tantum expurgato humore neminem. ſemper enim vnà alios cũ illo humores effundi.

EAdem accidunt his, qui ſumunt medicamenta quæ pituitam mouent. Primũ enim pi

tuitam, deinde bilem flauam, postea atram, postremo sanguinē purū vomunt, pòst moriuntur.

Euacuatum humorem, qui medicamēto purganti familiaris est, mox cōsequitur primus, qui ducitur præter alios facillime. Sub hunc, qui in hoc genere secundū ordinem est sortitus. Deinde omniū nouissimus sanguis: pro eo quòd familiarissim⁹ naturæ humor est, de quo istud quidē libere dixerim, etsi solus non sit hominis natura, omniū certe aliorum est familiarissimus.

Sanguis naturæ familiarissimus humor est.

NAm medicamentum, cum corpus subierit, primum id quod sibi omnium maxime ex ijs, quæ in corpore insunt, natura cognatū est agit: inde reliqua trahit & purgat. Quomodo stirpes & semina, vbi terrā sint ingressa, id quod in terra inest suæ naturæ accommodatum, singula attrahunt. Id est autē acidum,

dulce, amarum, salsum, & omnimodũ. Ante omnia igitur ex eo plurimũ, quod sibi naturali propinquitate maxime cõiunctum est, alliciũt: tum cætera deinceps attrahunt. Haud secus medicamẽta faciunt in corpore. Etenim quæ bilem ducunt, primum meracissimam bilem purgant, deinde mistam. Pituitæ item medicamenta primum meracissimã pituitam cient, postea confusam. Et iuguatis sanguis fertur primo loco quidem feruentissimus, atq; rubentissimus, mox manat pituitosior ac biliosior.

Clara hæc sunt Hippocratis verba, testimonijs propositam orationem confirmantis, vbi dixit, medicamentũ post quàm in corpus assumptum sit, primum trahere humorẽ sibi familiarem, deinde etiam alios. Ac meminerimus plantarum, quas itẽ ait ad se trahere, quanq; id quod

naturæ ſuæ eſt amicũ. continere nã-
que in ſe terram, acidum, dulce, ama
rum, ſalſum, & omnimodum. Quo-
modo etiam hominẽ: acidum, atrã
bilem: amarum, flauam: dulce, ſan-
guinem: ſalſum, pituitam. eſt enim
eiuſcemodi etiam quædam pituita:
& dulcis alia, & alia acida. & quidẽ
alia eſt, quæ nullam habet inſignem
qualitatem. Ideoque adieciſſe mihi
ad exitum orationis videtur, & om

Omni-modum.

nimodum, quòd non modo pitui-
tæ magnum differentiarum nume-
rum videret, ſed & cæterorum hu-
morũ. Nam vt acidum, dulce, ama-
rum, ſalſum: ita acerbum, auſterum,
acre, & pingue, humorũ ſpecies ſũt,
tum in animalibus, tum in plantis:
haud aliter in terra.

Hyeme creſcit pituita.

HYeme increſcit in homine
pituita: quòd hęc pręcipue,
ex ijs quę in corpore inſunt, huic
tempori conueniat: frigidiſſima
enim eſt. Huic rei, pituitam eſſe
fridiſſimam, eſt argumento: ſi pi
tuitam, bilem, & ſanguinem tan

gere libeat, pituitã omnium frigidissimam reperias, etsi sit lentissima, ac nõ nisi summa vi secundum atram bilem ducatur. Quę enim per vim trahũtur, hęc propter violentiã feruẽtiora redduntur. Sed tamẽ ad hæc omnia pituita suapte natura multo frigidissima apparet. Quòd autem hyems corpus pituita impleat, tibi his vestigijs patebit: expuunt homines, & emungũt hyeme pituitosissima: atque tumores albi ijs potissimum hoc anni tẽpore extuberãt, alijq; morbi pituitosi.

Manifesta est hæc oratio, lectorẽ desiderans attentum, non interpretem, qui ipsam declaret. Porrò ad finem est adscriptum, aliique morbi pituitosi. Ergo ex eiusdem scripturæ orationis hic sensus elicietur: Tumores albi præsertim oriũtur hyeme. Et vero alij quoq; pituitosi morbi hac tempestate vigent. Nam vt

sunt omnino febres æstate biliosiores, ita hyeme pituitosiores.

Vere cre ſcit ſanguis.

VEre autem pituita in corpore adhuc valida manet, & ſanguis creſcit. tunc enim frigora remittuntur, & pluuiæ ſuccedunt: Itaque tum ex imbribus, & diei quoque calore ſanguis augetur. cuius naturæ id anni tempus, quoniã humidum eſt & calidum, maxime accommodatũ eſt. Cuius rei indicium eſt: quòd homines verno, æſtiuóque tempore potiſſimum dyſenterijs corripiantur, ac ſanguis de naribus profluat, & calidiſſimi ſint atque rubicundiſſimi.

Locus hic planus eſt. Dictum autem eſt in primo de tẽperamẽtis libro, rectius temperatum ver, quàm humidum & calidũ dici. Suberat tamen cauſſa, cur calidũ & humidum dicere ver nonnulli Philoſophi ſunt inducti. Sic enim in temporibus an-

ni hoc dicunt esse humidum & calidum, vt in genere corporeorum animalia: hæc cum plantis conferentes: ver autem cum autumno, optimum inter tēpora anni, & quasi solū prorsus naturali prędit ū statu, cum illo, quod præter naturam affectum est. Abundare autē vere sanguinē, præter alia, hoc argumento est, quòd tū dysenteriæ vigeant illæ, quæ cruentæ appellantur: nō hæ quæ ob bilem vellicant intestina. De cruentis his dysenterijs quarto in librum de articulis cōmentario verba feci, vbi declaraui hunc affectum ferè nasci venis sanguine affluētibus, qui affatim deinde à natura per intestina expellitur, ita vt per vterū mulieribus: quibusdā per nares, aut hęmorrhoidas, aut vomitiones. Cōseruit autē cum vere æstatem dysenteriarū ratione, atque ob ruborem coloris. Nam Vere genitus sanguis ex suo calore rubentem colorē vniuerso corpori inducit, pérque sedem nonnullis redditur. Calorem autem, si tangas eos, iam tum præ se ferunt homines, cu-

Cur Philosophi quidā ver calidū & humidū dixerint.

ius caussa est cum sanguis, tum aer.

Aestate bilis increscit.

AEstate verò adhuc sanguis viget, & bilis suppullulat accrescítque, & ad autumnum vsque pertinet. Autumno sanguis imminuitur: quia eiꝰ naturæ autumnus cõtrarius est. Bilis æstiuo simul & autumnali tempore corpus tenet: quod hinc discas: Homines hac tẽpestate, & sponte sua bilem vomunt, & per medicamentorũ potiones biliosissimis purgantur. quod item ex febribus, & ex hominũ coloribus patet. Pituita æstiuo tempore q̃ antè est imbecillior. nam hoc tẽpus eius naturę ob calorem siccitatémque aduersatur.

Aestate, atq; potissimũ initio eius copiosus est Vere auctus sanguis, vt qui ab ambiente calore nondũ fit digestus. Increscit autẽ bilis, eo quòd in præsenti præter naturam excalfiat corpus. Hic rursus bilem non appo-

ſito coloris nomine, flauam appellauit: nunquã atram hoc ſimplici vocabulo nuncupãs, cæterum indicato coloris nomine. Cętera ſigillatim huius capitis animũ aduertentibus clara ſunt.

AVtũno ſanguis pauciſſimus efficitur in homine. quoniã autumnus ſiccus eſt, & hominẽ iam refrigerare incipit. ſed atra bilis autumno plurima eſt & potentiſſima.

Atra bilis autumno creſcit.

Superiore oratione ſanguinẽ dictum eſt autumno imminui: quòd eius naturæ ſit aduerſarius. nos, qui aduerſarius ſit, expoſuimus. Si enim ſimiliter, atque ver, calidus ſanguis & humidus eſt: autumnus autẽ (vt ipſe dixit) ſiccus, & hominẽ refrigerare iam incipit: vtique contrarius eſt Veri Autumnus, ac humorẽ ſanguini aduerſariũ habet redundantẽ, ſiccum & frigidũ. qui merito eiuſmodi euaſit, propterea quòd antè humores deuſti eſſent æſtate. iam quod ex deuſtis illis reliquũ eſt, reſtincto

quidem calore, frigidum statim siccúmque redditur: frigidum ob calorem extinctum: siccum, quòd eius omnis, dum torreretur, sit cõsumptus humor.

INeunte hyeme bilis, quia iam refrigescit, decrescit, & pituita de integro augetur, tũ à frequẽtibus pluuijs, tum ab noctiũ longitudine.

Dominantẽ singulis quatuor anni temporibus humorem temperamento vult ipsum anni tẽpus referre. Vnde fit, vt frigida & humida appelletur pituita iuxta ac hyems, & calidus humidúsque sanguis, vt ver: calidam & siccam, vt æstatem ita & bilem flauã esse dicit: & atram vt Autumnum, frigidam & siccam. Igitur quibus dixit anni temporibus singulos humores incremẽtũ capere, ante confirmauit. nunc caussam adducit, cur maior Hyeme sit pituitę copia: ob frequẽtiores, inquit, pluuias, & noctes lõgiores. quod perinde est ac si dicas: quòd humidum sit frigi-

Pituita hyeme cur vigeat.

dúmque hoc anni tẽpus. Humidum esse probatur, pluuiarum frequẽtia: frigidum, noctiũ prolixitate. Siquidem caloris, quo pręditus est ambiẽs nos aer ęstate, auctor sol est, qui tum ascendit propè supra verticẽ nostrũ, & diem longiorẽ efficit. Idem item frig⁹ Hyeme inducit, quòd obliquus & humilis paucóq; tẽpore supra terram feratur. Vult autem Hippocrates cum circunfusi aeris statu vnà animalium corpora affici, siccari in siccis eius temperamẽtis, humectari in humidis. Hoc pacto etiã incalescere in calidis, in frigidis algescere. Quare si humida hyems & frigida est, merito in ea frigida & humida valet pituita. nã ostendit & hoc antè. Hæc sibi ratio & alijs etiam anni temporibus constat. ęstate, flaua bile dominante, quãdo sicca & calida virtute est. Vere, sanguine humido & calido humore. Etenim & Ver esse ait calidum & humidũ. Autumno, atra bile, vt quæ iuxta ac hoc anni tẽpus sicca sit. Quæstio igitur non parua oritur de veris tẽperamẽto, quẽ-

Hyems cur humida & frigida.

Sol caloris in aere caussa.

Cur corpora animaliũ afficiãtur à cęlo.

admodum calidum & humidum dicatur: quam cum tractaui, temperatum potius dici hoc ostendi. Atque constat eadem etiam ratione nō calidum & humidum debere dici sanguinem, sed temperatum. Ac magis quæras, quod huius libri interpretes præterierunt, de pituita: quæ habet frigidam naturam & humidam, atque hęc Hyeme generata. Qua vero caussa inductus, non minus inquirēdum esse id dixi, iam tibi expediam. Dixit in Aphorismis ipse Hippocrates: *Vētriculi Hyeme & Vere natura calidissimi, & somni longissimi. His tempestatibus alimēta copiosiora sunt præbenda. Etenim tunc calor natiuus multus est: nutrimentū ergo plenius requirit. indicio sunt ætates & athletæ.* Præterea: *Aestate & Autūno cibos difficillime ferunt, Hyeme facillime. secundum locū Ver tenet.* Hęc si vera sunt, & pituitam humorem esse frigidū, non temperatum, vt est sanguis, scimus, quomodo Hyeme augebitur? Conueniebat enim ex alimēto commode perfecto, sanguinem magis, quàm pituitam generari. Qui igitur

**Cur pituita hyeme vigeat.**

hic ſcrupulus explicabitur? Dicam, quod ſentio. Sunt quidem calidiſſimi Hyeme ventriculi naturali calore, id eſt, temperatiſſimi: ſed corporis partes ediuerſo plus refrigerantur hyeme, ipſéque adeo venter quibuſdam, aut ex itinere, aut ob veſtiũ inopiam, aut vitæ genus, aut eiuſcemodi quippiã. Omne igitur ambientis aeris frigus quàm poteſt penitiſſime in corpus ſe inſinuat. Quibuſdã vero etiam ad ventris vſque regionem penetrat, vt eſt dictum. Itaq; vt perfecti recte ſint in ventriculo ſumpti cibi, in iecore certe dum mutantur, non abſolutum aſſequuntur ſanguificationis, vt ſic dicam, cultũ, ſed aliqua in ea offenſio exiſtit. Quo minus venæ totius corporis mutãt illos refrigeratę. Huc accedit ciborũ multitudo, qui Hyeme ſumũtur, quibus qualitates quoq; ſunt pituitoſiores. Multa enim ĩ cibo legumina hyeme ſumunt, multo plus panis quàm reliquis anni temporibus, ſiliginem, rhyemata, holera, ſatiua rapa, & carnes multas partim plane pituitoſas,

vt agninas, partim nisi probe pręparatæ sint, quod genus suillæ carnes sunt, maxime porcinę. Præterea, bulbis, cochleis, caseo, & alijs eiuscemodi multis tota hyeme vescuntur, quę prompte in pituitam vertuntur. Atque etiam nouũ vinum plerique bibunt, quod etiam facile generat pituitam. Quibus fit, vt hyeme copiosior sit pituita.

Vinũ nouũ generat pituitam.

ATque hæc quidẽ omnia habet perpetua corpus humanum, quæ à tempore anni degenerante, modo vltra modum augentur, modo imminuũtur, singula pro parte & natura.

Omnia, inquit, prædicta, hoc est, quatuor humores habet corpus humanum dum viuat, hoc illi significat perpetua. Hæc temporũ anni vicissitudinibus augẽtur, minuũtúrq;. Nam à tẽpore anni degenerãte idem est illi, quod transmigrante, hoc est, quod demutatur, ac transit in aliud sibi continens. Deinde, augeri minuique hæc dicit pro parte & natu-

ra. Quidam accipiunt pro parte, de corporis partibus esse dictum: quidam contrarium huius pro natura: vt hæc dicat: Semper corpus humanum quatuor commemoratos cõtinet humores: pleniores autẽ & pauciores pro anni partibus & natura. quod oratiõe inuersa si proferas, sensum sis commodum & verum assequuturus. Nam humorum affluẽtia pro anni temporibus, vbi secũdum naturam dispensatur annus, variat. atque pro totius anni partibus, etiã si minus administretur ratione naturæ, differentia in quantitate nascitur humorũ. Quin & de anni temporibus partes interpreteris licet.

NAm vt annus omnis omniũ est, & calidorum, & frigidorum, & siccorum, & humidorũ particeps. neque enim quicquam in hoc vel minima. tẽporis parte consisteret, sine omnium, quæ in hoc mundo sunt, consortio. Imò si vnum etiã absit, omnia simul

aboleantur. Siquidem omnia & ex eadem ſunt conſtituta neceſſitate, & aluntur ab ſe mutuo.

Calidum, frigidum, humidũ, ſiccum: nõ quod per excellentiã appellatur & intelligitur: ſed elementale dicit. quod in propoſito ſermone declarauit, omnem docens annũ omnium eſſe participem. Neque enim omnium, quæ præpollent, particeps eſt omnis annus, ſed elementalium: tota quidem hyems, humidi & frigidi: æſtas cõtrariorũ ſicci & calidi: autumnus, frigidi & ſicci. Quod dilucidius etiam oſtendit: cum dicat, vt cætera quoque corruant, fore, ſimul atq; vnũ iſtorum perijſſet. Nam vno pereunte elementorũ, recte dixeris interiturũ quod ex ijs conſtat. Secus, vno ex illis pereũte, quæ vincentis nomine appellantur: cũ contrarium ſit verum. Vbi perdatur aliquod ex ijs quæ præpollentis nomine appellãtur, ſaluum ſit, quod ei aduerſatur. Si enim æſtas nõ ſit, hyems eſt: ſi non hyems, æſtas: Et ſi non ſit

Ver, autumnus: ſi non autũnus, ver. Sin autem calidum elementũ ſemel ſuſtollatur, concreſcet caloris inopia humidum: tolletur omnino ſol: nulla planta erit, neque animal reliquũ. Si item frigidum pereat elementũ, vniuerſa ignis erunt. Et ſi ſiccũ, aqua erunt omnia. itaque interibunt omnia, quæ in mundo ſunt genita corpora. Propterea dixit corpora mundi elemẽtalia ex ſeſe nutriri mutuo. Nam abſolutũ elementũ mente potius comprehenditur, quàm inuenitur. Quod verò prope cum illo idem eſt, ex eorum eſt, quæ ſubſunt numero. Nam ſi prorſus humidam & frigidam fingas aquã fieri, non manebit iam aqua: concreſcet enim mox, & ſubſiſtet, & fluere deſinet. Ita terram ſi prorſus ſiccã & frigidam cogites, erit id adamãte corpus durius. Quæ ſi euadat eiuſcemodi, fœturã deſinet plantæ. hac deſita, ſimul alimentũ interibit animantiũ. atque ſi hoc, nimirum & ipſa animalia. Per excellentiam ergo quãdo elementũ intelligitur ſiccum & frigidum, tunc

Abſolutũ elemẽtũ mẽte apprehẽdit.

terra, quæ in mundo eſt, ſiccum eſſe & frigidum corpus dicitur: & aqua, humidũ. Iam & ipſe habet ignis partem aereæ eſſentiæ, non ſecus atque fumoſæ: ad hæc non obſcure pro nutrimento humiditatem poſtulat: id quod lucernarum flammæ indicant. Proinde ex ſeſe mutuo habẽt nutrimentum mundi elementa. Vnde eſt apud Platonem: Idem, vt ſibijpſi alimentũ & tabem ſuppeditet: & omnia in ſeipſo & à ſeipſo tũ patiatur, tum agat, ex arte comparatum eſt.

ITa homo, ſi quod illorũ eum deficiat, quæ cognata ſunt, viuere non poſſit.

Cognatum appellauit ſanguinem, pituitam, & biles, quãdoquidem fœtus primam figurã ex matris eſt ſanguine omnium participe conſequutus, ac incrementum item, nutrimentúmq́; Si igitur prorſus ex corpore noſtro aboleatur vel humidum, vel ſiccum, vel calidũ, vel frigidum, ſtatim corrumpentur humores, qui humidi, ſicci, calidi, & frigidi ſunt: non

illi quidem meri & puri, sed quia ea in qualitate alijs præstant, ita nominati. Nam pituitam humidam dicimus, & frigidam esse, non quasi contrariorum expertem, sed quòd in ea humidum & frigidum dominētur. Quæ si plane frigida tantum foret, vt glacies sit coacta. Idem de vtraq; bile statuas. Nam est flaua, sicca: atra, sicca & terrena esse dicitur. cui tamē aliqua est humiditatis pars. nam humor non sit, cæterū durum corpus, vt adamas. Eadē ratione frigida esse dicitur: quòd plus habeat frigoris, quàm caloris: quæ si vndequaque sit frigida, glaciei modo congelascat. Sed horum quid refert meminisse? quando sanguis ille, qui temperatissimus videtur, talis dicatur: quòd in ipso nullum suo contrario magnopere præcellit, nec calidum frigido, nec calido frigidum, nec humidum sicco, vel siccum humido. Posteaquam itaq; & ipse indiget sanguis quatuor qualitatibus, humiditate, siccitate, calore, & frigore: nemini dubiū est, quin cū reliquis humoribus postu-

Humores in corpore per excellētiam calidi, frigidi, sicci, humidi dicuntur.

let confundi. Quo fit vt temperatissimus sanguis pituitæ sit, & flauæ, atræ'que bilis particeps. Est alia præterea naturalis consideratio non cõtemnenda. Hæc ad proborum generationem morũ referre quatuor humores docet. Sed hic demonstrasse prius conueniat, animi mores corporis comitari temperamentis: quam rem aliubi tractauimus. Atque hoc constituto, animi dexteritas & prudentia à bilioso humore proficiscetur: integritatis & cõstantiæ erit author, humor melãcholicus: sanguis, simplicitatis & stupiditatis. Pituitæ natura ad morum cultum nihil facit, sed in ciborum prima mutatione generari videtur.

IN anno autem, modo Hyems maxime, modo Ver, modo Æstas, modo Autũnus viget. Haud aliter in homine, interim pituita dominatur, interim sanguis, interim bilis, primum flaua, deinde atra.

Aperta eſt Hippocratis oratio oſtendere parantis, vt in anno nũc humidum viget & frigidum, vocatúrque hoc anni tempus, hyems: Nunc humidum & calidum, tempore veris: aliquando ſiccum & calidũ, quæ vocatur æſtas. poſtremo ab his ſiccũ & humidum, in autumno. Ita in homine præſtat, hyeme pituita, humor humidus & frigidus. Sanguis Vere, calidus humor & humidus. Flaua bilis æſtate, quæ facultate eſt calida & ſicca. Atra autumno, ſicca & frigida, vt ipſe etiam autumnus.

CVius eſt argumentũ euidentiſſimũ: ſi quater anno idem eidẽ homini medicamentũ præbere velis, hyeme tibi euomet pituitoſiſſima, vere humidiſſima, æſtate bilioſiſſima, autumno nigerrima.

Clariſſimũ dicit argumentum eſſe prioris orationis, vbi ſingulis anni tẽporibus ſingulos dominari humores dixerat: quòd eidẽ porrecto

medicamento vomitũ mouente, vicibus quatuor, ſit hyeme vomitus pituitoſior, vere humidior, bilioſior æſtate, & nigrior autumno.

CVm igitur hæc ita ſe habeant, par eſt morbos, qui hyeme augeãtur, æſtate finiri. & cõtrà, qui æſtate creſcant, hyeme terminari: niſi intra dierum circuitum diſcedant. Circuitum autem dierum aliâs exponam. Vernorum morborũ in autumnum expectanda liberatio eſt. autumnalibus autẽ Veris tempore defungamur, neceſſe eſt. Hęc vero quiſquis ſtata tẽpora ſuperauerit morbus, hunc fore annuũ ſcito.

Huius orationis bifariam ſcribitur initiũ: ab his, ὀφείλει, ab illis φιλεῖ γοῦν τουτέων οὕτως ἐχόντων: quod eſt idem ac προσήκει, quod nos par eſt, vertimus. Vſurpant enim hoc vocabulum interim pro par eſt. Reliqua huius orationis obſcura non ſunt. Vult

enim morbos diuturnos, & qui non per circuitus fiunt dierum, ſed menſium, eo diſcuti anni tempore, quod illius, quo hominem inuaſerunt, contrarium eſt, hoc eſt, ſeptimo menſe. quibus ita non extinctis, annuũ tum dicit morbum effici. Hæc iam dictio annuus, eum poteſt denotare, qui ab anno primi ſui ortus diſcedit: poteſt & eum, qui ſeptenum annorum ambitum amplectitur, vt qui ſeptenum menſium. Siquidem in Aphoriſmis in hunc modum ſcribit: Plurima vitia pueris iudicantur, hæc quaternis denis diebus, illa ſeptenis menſibus, alia ſeptenis annis, nonnulla ad pubem vſque pertinent.

Annuus morbus.

SIc medicus cum morbis congredi debet, vt ſingulis horũ dominãtibus in corpore pro anni tempore, quod potiſſimũ diſpenſatur ſecundum naturam.

Totius propoſiti de anni tẽporibus ſermonis vſum hoc loco docuit: oſtendens cõmentationem de ætatibus, regionibus, vitæ propoſito, &

quotidiana victus ratiõe eandẽ præstare cõmoditatem. Horum habita omniũ ratione, medico consyderandum est, qui præpollens humor aut qualitate, aut suo effectu, qua in corporis parte præcipue abundet. Nam sic quidem Medicũ se optimũ præstiterit, quemadmodum in medendi cõmentationibus traditur. ¶ Hoc in libro cum esset Hippocrati corporis nostri naturã inuenire propositum, hac via & ratione adinuentionẽ vsus est. Primum simplex an variũ esset, quæsiuit. quod vbi esse multiplex cõperisset, simpliciũ deinde in eo naturã, quę esset, inspexit, id est, quam haberent aut ad patiendum ab aliquo, aut agendum, facultatẽ. Qua de causa tẽporum anni & ætatũ fecit mentionem, cõsiderans quemadmodum inuentis elementis cum illis conueniret. Inuenit præterea finiendorum morborum præsagia, & curationes ad eadem esse reducenda proposita. Qui dum elementa corpus nostrum cõstituentia inuestigat, interim quoque, quæ vniuersitatis sint elemen-

Via & ratio Hippocratis in natura hominis inuenienda.

ta, meminit, quę vera ſunt elementa.
Nam abutentibus hoc vocabulo, no Elemēta bis, interim ſimplices in cuiuſlibet per abu- rei fabrica partes, primæq́ꝫ, illius rei ſum. elementa dicuntur. Sic muſica ele- mēta, rhythmica, geometrica, arith- metica, orationis, vocis, & demõſtra tionis appellarunt. Ita etiam Plato centum ait plauſtri eſſe dicta elemē- ta ab Heſidio: qui ſcripſit,

*Plauſtri lignáque centum*

Hoc modo quæ appellantur ſingu- lis in rebus elementa, non plane ſunt ſimplicia neq́ꝫ prima. At vero illa o- mnium rerũ cõmunia, & ſimplicia & prima, reuera ſunt propriéque nomi nantur elementa. Atque à qualitati- bus Hippocrates calidum, frigidũ, humidum, & ſiccum denominat: nõ quę media ſint extremorum, ſed ip- ſa illa extrema: ignem, terram, aquã, aerem. Itaq́ꝫ Plato eum vult, qui de animæ natura cõmentatur, hanc viã & rationem ſequi. Neque enim ſatis ſingulas poſſe res citra vniuerſi na- turam cognoſci. Sed ipſa tibi Plato- nis verba adſcribo, quæ ſic habent:

*Quid? tu animæ (inquit) naturā probè absque vniuersi natura assequi te posse existimas? Quin (siquid Hippocrati credimus illi ex familia Asclepiadarū) ne de corpore quidem citra hanc rationem. Recte tu quidē amice: faciundum tamen est, vt cum Hippocrate expendamus disputationē, consideremúsque ecquid consentiat illi. Sanè quidem. Quid igitur dicit Hippocrates & recta ratio? num sic? Operæpretiū est rei cuiusq; naturam considerare: Primum, simplex sit, an multiformis, cuius nobis comparare scientiam volumus, & eam facultatem, vt aliis illam tradere possimus: Deinde simplex si sit, animaduertenda illius facultas est, quam ad agendū habeat, aut ad patiendum ab aliquo, comparatam. At multas si formas habeat, his enumeratis, quod in vna, hoc in vnaquaque videndum: ad quid scilicet faciundum sit, aut ad patiendum ab aliquo nata.* Atqui hæc cū scripserit Plato in hunc modum, mōstret aliquis nobis, quo prȩter hunc de natura humana Hippocratis libro liceat hanc rationē & viam inuenire. quod si nequeat, nullū quærat Platone testē locupletiorē, qui verum hūc esse Hip-

Librū de hūana natura Hippocratis esse.

pocratis librũ confirmet. Et vt mittā alia, suppar discipulis eius fuit Plato. quorũ si cuius hic liber esset, scriptoris ei nomẽ fuisset præscriptum. Nam ante ætatem Regum Alexandriæ & Pergami, inter quos erat in comparandis veteribus libris cõtentio, nullus vnquam liber falsum titulum habuerat: Verum vt primũ acceperunt præmium, qui antiqui cuiuspiam authoris libros ijs offerrẽt, tum demum multos falso titulo insigniẽtes attulerũt. Sed hi floruerũt Reges post Alexandri obitum. Plato antè, quàm Alexander rerum potiretur, illa scripserat, nullo dum adulterato titulo, sed vnoquoque libro suũ scriptorem titulo præ se ferente. Plato igitur ad Hippocraticæ rationis præscriptum, de animæ se natura contemplari profitetur: ita vt ille de corporis natura. Neque hoc alio modo fieri confirmat posse antè, quàm vniuersitatis natura cognoscatur. At enim sunt, qui in tanto errore versentur, vt tam præclaram rationem alterius esse, possint in ani-

Cur falsis titulis insigniti libri antiquorum.

mum inducere: quòd non dubitauerit primus huius tantæ, támque suspiciendæ rei inuentor, eius scribere demonstrationem. Quis enim eum, qui omnium ortui & interitui obnoxiorum corporum elemēta inuenit, singulare non dicet, stupendúmque factum designasse? Quis autem multo esse singularius negabit, demonstrationibus hæc confirmasse? Eáque adeo qui non versibus totis trecentis, sed longe potuerit paucioribus complecti. Nam in omnibus medicamentorum & præsagiorum inuentis Hippocratē elementis vti, vt demonstratis: nusquam autem eorum demonstrationem docuisse, cui probatur? Hæc igitur tanquā cumulum adieci, hunc ostēdens esse Hippocratis germanum librum. qua de re tamen, cuius nihil interest, minus est contendendum: de veritate autē eorum, quæ in ipso libro traduntur, vehementius laborandum. Hoc in libro de elementis secundum Hippocratem præstiti, quem cum probari omnibus doctis viderent æmuli, fri-

gidã huius caussam attulerunt, non esse Hippocratis librum iactantes. Cæterum hæc illum statuisse, & hæc singulis libris conscribendis semper spectasse, in cõfesso est. Sed vero quia ijs impudenter reclamãt inuidi, quę omnes sine controuersia cõprobant, ideo opus aliud conscripsi, hoc modo inscriptum: Quòd in alijs operibus idem sentire Hippocrates, ac in libro de humana natura videtur.

FINIS GALENI PRIMI COMmẽtarij in Hippocratis librum de humana natura.

*

# GALENI IN LIBRVM DE HVMANA NATVRA COMMENtarius secundus, Hermãno Cruserio Campensi interprete.



Psum de natura humana librum priore commentario exposuimus. Nũc illa aggrediemur, quæ illi male sunt adiecta, & hæc concinnata. Vnus est enim liber pusillus, in quo de valentium agitur victu. Hæc Polybi lucubratio, qui Hippocratẽ audiuit, videtur esse. Quod inter hunc & illum de natura humana interiacet, instructũ est, interiectúmque ab illo, qui in vnũ primus coegit duos hosce libros, de natura humana Hippocratis, & Polybi de salubri victus ratione. Nam qua tẽpestate mutuũ inter Attalum & Ptolemæum reges certamen de libris cõparandis esset, tunc demũ qui mercede adducti ad reges adferrent clarorũ virorũ scri-

pta, inſcriptiones cœperunt & digeſtiones illorũ adulterare. Ergo cum vterq; hic liber foret minut⁹ & de natura humana & de victu ſalubri, arbitratus ob exilitatẽ aliquis neutrum eorũ magni pretij fore, in vnũ ambos redegit. Mox alius fortaſſis, vel adeo ipſe ille, qui hos princeps coniunxit, nõnulla duobus interſeruit hæc, quæ iam ſum aggreſſurus.

SVnt præterea hæc cognoſcenda. Quos repletio parit morbos, vacuatio his medetur. Quos excitat vacuatio, curat repletio. Qui ærũnę ſoboles ſunt, curantur abs requiete. Quos ſupinius otiũ morbos creauit, ijs ærumna remedio eſt. In ſumma medicus repugnet oportet præſenti tẽpeſtati, morbis, formis, anni tẽporibus, ætatibus, cõtenta laxet, contendat laxata. Ita enim potiſſimum moleſtiam diſcuſſerit. Ac curatio mihi hæc videtur eſſe.

Totius huius orationis Dioſcorides ſingulis verſiculis notam præfixit, quem obeliſcum appellant. quo ſigno apud Poetam Ariſtarchus ſibi ſuſpectos verſus notauit. Atque hæc ſcripſit Dioſcorides, conijciẽs Hippocratis hoc caput Theſſali filij eſſe. Duo enim hi filij fuerunt magni Hippocratis, Theſſalus, & Draco, quorum etiã vterq; Hippocrates genuit. Atque hæc in hac oratione dicta ſunt. faciundũ verò & nobis eſt, ea vt conſideremus, ſingulis capitibus ſigillatim præpoſitis.

Hippocratis filij.

QVos repletio parit morbos, vacuatio his medetur.

Non idem eſt, ſi dicas morborum eſſe cõtinentẽ cauſſam repletionẽ & vacuationẽ, ſinguláq; inſequẽtia: atq; ex repletiõe oriri, aut alia ex re. Etenim eſt verũ quoſdã morbos generari ex repletione vel à repletiõe. Nihil enim intereſt, hoc an illo modo loquare. At prauũ eſt, morbi repletionẽ cauſſam eſſe cõtinentẽ. Nam morbus quidẽ ipſe affectio quędam eſt in

animãtis corpore, primo actionẽ lędẽs, id quod in libro de morborum differentijs declarauimus. At repletio, primo quidem functionem nihil offendit, id quod etiam in libro de plenitudine fecimus planum: verum altero quopiam intercedente vitio. quod Erasistrat⁹ aliter, Asclepiades aliter, alio etiam modo medici, qui Pneumatici sunt nominati, statuerũt oriri. Sed pluribus nos quoq;, quemadmodum morbi ab vtraq; plenitudine gignantur, diximus. geminam enim demonstrauimus esse plenitudinem, alteram vt ad vires, alterã vt ad vasorum cauitatem. Illa vt ad vires, tum inficit humores, tũ in membra imbecilliora fluxionẽ immittit. Altera vt ad infusionem, & ora vasorum recludit, & ea dirumpit. Est cum mortem afferat repẽtinam, vbi obturet corporis perspiracula. Itaque curatio dicitur etiã eorum, quæ efficientia sunt morborum, nedum generatorum iam morborũ. Quòd si nomẽ proprium horum vsurpes, προηγόμενα morbi (latini abditas vo-

Plenitudo duplex.

cant)id genus caussas dicas, vt fecit Athenæus. Iam à quibus hæ ipsę abditæ originem trahunt, Latine euidentes eas, Græce προκαταρκτικὰ & προκατάρχοντα nomines. Nam copia cibi, cruditates, balneæ, exercitationes intempestiuæ, denique omnia, quæ retuli in cõmentario de caussis euidentibus, abditas cuiusque caussas morbi inducunt.

QVos excitat vacuatio, curat repletio.

Author huius capitis parum mihi rite videtur hic nomine repletionis vti: cum soleant omnes non medici modo, sed & cæteri Græci potius excessibus modicæ quantitatis vocabulum assignare repletionis. nõ tamen vacuationem contrario corrigere excessu. Attẽde igitur deinceps pro excessibus propugnantẽ orationem. Nam cibi cum quidam mediocres sint, vt ad cuiuspiam habitum, valentis: defectũ & excessum ad hos accipies collatos. Ac vacuatus qui est, vt prioris suæ mediocritatis re-

Repletio

ſarcire quantitatem valeat, augebitur. Si enim tantundẽ, vt ante quàm vacuaretur, ſumat nunc eſcæ, quod deceſſit, haud repleat vnquam. Sed artificis eſt modice eorum incremẽtum moliri, neque intempeſtiue implere vacuatum, neq; ſubito & affatim. At ſunt inter medicos, qui morborum nũquam vacuationes cauſſas opinantur fieri. Tantum enim aiunt eas vires debilitare, corpúſq; adimere: morbum vero ab defectu exiſtere nullum. verum iſtos quidem, qui comitentur morbi immoderate vacuatos, præterit. Siquidem & procliue quibuſuis ex occaſionibus refrigerantur, & cito rurſus exuruntur, tum laſſitudinibus tentantur ex facili, omnibúſq; cauſſis externis. Atque etiam à vigilijs, triſtitia, cruditate, iráque hi, quàm qui probo habitu ſunt, citius ſolicitantur.

QVi ærumnę ſoboles ſunt, curantur abs requiete.

Ærumnas quidem, quæ in motionibus immoderatis fiunt, appel- Ærũnæ.

lat. Ita affectos quiete recreãdos esse omnes homines & norunt, & faciũt, ac ne consiliũ quidem quærunt medicorum. Iam etiam rationis expertes animantes ostendimus, non modo homines, contrarijs nociuorum tollere noxas. Quos supinius otiũ morbos creauit, ijs ærũna remedio est. Ne otium quidem primo & sua sponte, cæterũ interueniẽte repletione morbos propagat. Corpus enim minus otiantibus digeritur, debilitantúrq; ipsi: ita vtraq; ab illo repletio excitatur. Igitur vires motus immoderatior non confirmat quidem, superfluum euacuat tamen collectorum humorum. Vnde liquet, si aliquanto vel in eo nimius supra moderatum motum sit, fore, vt defatigetur sensim homo, at non febricitet tamen. In sũma medicus repugnet oportet præsenti tẽpestati, morbis, formis, anni temporibus, ætatibus.

Formæ. Formas videtur appellare corporis naturas, quarum demõstrauimus in quatuor temperatione elemẽtorum essentiam positam esse. Ergo ijs quę

contrariarum virium ſunt, non prima ſpecie docuimus procurari omneis morbos. Corporis vero natura, id eſt, temperamentum non reſtituitur omnis per contraria. Neq; vero vel anni tempora, vel ætates. Sũt etenim tẽperata quædã, vt alia etiam quædam intemperata. Temperatorum conſimilibus conſeruatur temperies. Intemperatorũ intemperies contrarijs corrigitur. Verum de his in opere de ſanitate tuẽda exacte diſputauimus. Cõtendentia laxet, contendat laxata. Non recte atq; ordine oppoſitionem morborũ inſtituit. Nam contendenti laxantia, laxatis contenta proprie opponuntur. Contendentia enim laxantiáq; de cauſſis dicuntur proprie, non autem de læſis corporibus. Contrà contenta & laxata, corporum ſunt, nõ morborum nomina contentorum & laxatorum: vt etiam durum, molle, rarum, ſpiſſum. De quibus melius in ſexto libro vulgarium morborum dictum eſt in illo capite: Cutis duræ emollitio, cõtentæ remiſſio. Hoc in libro, dein-

ceps etiam de conſpiſſando actũ eſt, quod rarefactioni repugnat. At hoc idem valet quod denſare, ſicut denſatum idem quod conſpiſſatum

MOrbi vero fiunt, partim à viuendi ratione, partim ab ſpiritu, cuius attractiõe viuimus.

Victus ratio.

Viuendi rationẽ vocant nũc ipſa ſola eſculẽta & poculẽta. Sæpe etiam eo nomine vitæ ſortem complectuntur, quemadmodũ nunc dictum accipe. Neque enim cibi modo & potiones, verum etiam balneæ, exercitationes, otium, vigiliæ, mœror, ira, frigus, æſtúſque pariunt morbos. frequenter vero anima, quam adducimus, noxam dat: vt in locis, quæ Charoneæ dicuntur.

Charonearũ foſſarũ meminit Plin.

Morborũ ex aere & victu profectorum diſcrimẽ.

VTroſque hoc modo diſcernes. vbi multi vno morbo homines corripiuntur eadem tempeſtate, in id cõferẽda cauſa eſt, quod ſit cõmuniſſimũ, quóque maxime vtimur vniuerſi. Hoc eſt, quod ſpiritu attrahimus. Tunc

enim victum cuiusque nostrum nequaquam in caussa esse manifesto constat, cum morbus omneis iuxtà attingit, tam iuuenes quàm senes, tā fœminas, quàm viros, perinde vinū ac aquam bibentes, tam qui offam, quàm qui panem commāducant, tam qui multum, quàm qui parum laborant. Ergo non fuerit victus ratio in caussa, cum homines quoque victu vtentes in eundem incidunt morbum. At vbi diuersis eodem tēpore morbis homines afficiuntur, suus cuiq; victus sine controuersia caussa est.

Quod commune multarum ægritudinum est, cōmunem hoc caussam habere recte dixit, vt reliqua huius capitis omnia. At non recte tamen cōmunium morborū ortum in vnū aerem cōfert. Siquidem qui in Æno grassante fame vescerentur leguminibus, cruribus debilitabantur. Qui morborū

Caussa cōmunis.

Caussę cōmunium

vero erua essent, hos genuum dolor corripiebat. Neque hoc nos ignoramus, cum in fame quidam frumentum semiputre coacti mãducare essent, in cõmunem cõmuni de caussa incidisse morbum. Aliquando etiam cũ vsus infecta aqua esset totus exercitus, similiter afflictos omneis milites fuisse. Cætera huius capitis clara sunt.

Curatio morbi ex victu.

Ac curationem molieris, morbi occasioni repugnãdo, vti nos aliàs declarauimus: & victus mutatione. Neq; sane obscurum est, quibus cibis vti homo est solitus, hos ei incommodare vel omneis, vel plerosq;, vel eorũ certe vnum. Quos cum exploraueris, commutabis, atq; habita hominis ratione ætatis, formę, temporis, anni, modíq; morbi ad curandum aggrediere, nunc detrahendo, nũc augendo, vt olím docui ad singulas ętates, & tempo-

ra anni,& formas,& morbos tã in medicamentis ſpectandum,q̃ in victu eſſe. At vero vbi morbus vnus vulgetur, plane victus in cauſſa non ſit, ſed quod ſpirãdo haurimus, hoc cauſſam ſuſtinet. quod quidẽ clare morbos quoſdam excitat. Hoc tẽpore hominibus hęc pręſcribes, victum, vt, qui innoxius ſit, ne immutent: cęterum corpus curent, vt minime tumeat, & ſit debiliſſimũ. de cibis auferãt & potione, quibus cõſueuerunt vti, paulatim. Nam ſi ſubito victum cõuertas, ne quid in corpore grauius ab immutatione innouetur, periculum eſt. Sed victus hanc rationem habebis, ſi quidem eum nihil hominẽ cernas offendere. At ſpiritus vt fluxus quàm parciſſimus corpus ſubeat, vtq; ſit quàm familiariſſi

Curatio morbi vulgaris.

mus, prouidebis. atq; ſolum, quo ad eius facere poteris in quo morbus vigeat, vertes, corporáq; extenuabis. Ita enim minime multum ſpiritum & frequentem homines requirant.

Communiũ morborum, quos parit aer, curationem non prodidit integram. Nam non raro ſtagnorũ reſpirationes, vel paludum, vel locorũ cœnoſorũ, vel eiuſcemodi terræ, eos morbos cõcitant: Interim ſolum tẽpeſtatis tẽperamentũ. Itaq; in euaporationibus, potius toti⁹ proprietate eſſentiæ, quàm nuda qualitate offendentibus corpora, ordine curationẽ tradidit, in duo referens propoſita, loci viciſſitudinem, & paucula attrahẽdæ vſum animæ. At in ijs, quę lædunt qualitate, non ſolum curatio morborum iam exiſtẽtium, ſed etiã vt prorſus ne ſuppullulent, contrarijs qualitatibus præcautio inſtituetur. Nã ſi corpus ſit ab immodico calore affectũ, refrigerantibus: ſi à frigore, calfacientibus: ſimiliterq; cæ

teris in qualitatibus tũ simplicibus tum compositis. Nam de indicationibus, quæ ab ætatibus, anniq; temporibus, & temperamentis corporis sumuntur, antea explicaui. Illud vero τῇ φαρμακείῃ προτρίπτεσθαι puto equidem hic dictum ἀντὶ τοῦ προσφέρεσθαι τοῖς νοσήμασιν ἐξ ὑπεναντίου: id est cum morbis per contraria agere. Nã in Asia etiã hodie dicitur aliquis alicui προσφέρεσθαι χρηστῶς, ἢ φιλικῶς, ἢ ἀπίστως, ἢ ἀπηνῶς, hoc est, cum quopiã bene agere, vel amice, vel perfide, vel crudeliter. προτρίπτεσθαι.

MOrbi ex corporis validissimo membro exorti, vehemẽtissimi sunt. Nam si quo loci cœperint, illic perstiterint, afflicto validissimo membro vniuersum corpus necesse est afficiatur. Quòd si ad imbecilli⁹ à valẽtissimo discesserint, difficulter discutiũtur. At qui ad firmiora permeant ex infirmioribus, tolluntur facilius. A robore enim influ

Morbi ex validissimo membro.

xus facile arcebitur.

Validissimũ membrum aut corpus.

Siue membrum, siue corpus dicere validissimum velis, proprie appellabis illud, quod optime ad strenua sit opera comparatum. quo quidem modo Herculem fuisse dicimus validissimum. Altero modo vt ad certam actionem validum hoc corpus, & membrũ: vt ad aliam aliud. Atq; sit aliquod, quod vndequaq; habeat quolibet in munere robur. Aliud in alio eorum valet. Est autẽ vna actio voluntariarum animantis motionũ. Vt si aut currat, aut animalia aliqua complectatur, aut diuellat vel animal, vel inanimũ corpus, aut quippiam etiã reuellat. Vna iam alia est virtus, eáque in actione continetur vitali, qua arteriæ & cor pulsant. At in ijs quæ genere inter se distãt, alię sunt quædam diuersæ, atque his non tantum animalia, sed stirpes etiam sunt præditæ: quamobrẽ has nominamus naturales: attractrix, alteratrix, retẽtrix, & expultrix. Aliâs igitur valet in alio atq; alio corpore virtutem habere venter firmissimã, ad

Actio voluntaria.

Actio vitalis.

Actiones nutritiuę

certam actionem, vt aut retētricem aut alteratricem: nūc iecur, vel lien, vel aliud. Contrà in eodem animali debilissima est venter vel attractrice vel expultrice virtute, iecur robustissima. Sed hæc scriptor huius capitis præterijt. Videtur autē validū mihi pro eo accipere, quod præter quòd ęgre morbificis causis cedat, etiam hanc scilicet vim obtinet, vt facultate expultrice, vbi aceruata in ipso humorū exundantia sit, in aliud eam deriuet membrū. Sit vero emittens oportet eo valentius, quod recepit. Proinde omni in corpore aliquod erit imbecillimū, alia validissima: id quod apud omneis medicos & vulgus in cōfesso est. Dicūt enim imbecillimos pedes podagricis esse. Sic vniuersum genus articulorū arthriticis. quibus dolet caput, infirmissimum caput. Item lien, qui splenici natura sunt. Oculos, qui lippitudinibus sunt opportuni. Eodémque singulis in partibus modo. At vero quando caussæ morbificæ sunt gene-

Validum

Caussæ morbificæ duplices.

re duplices : nam hæ sunt externæ, illæ ex nobis ipsis propagantur: etiã ad externas offensiones aliæ nostri partes sunt nonnunquam debiles, aliæ ad internas. Itaque & ipsarum caussarum non eiusdem generis sunt facultates. Ex nobis enim, si abundent humores, vel corrupti sint, scatent morbi. Externæ caussæ vel quòd intẽperiem aliquã creent, vel quia contendunt, vel incidunt, animantium lædunt corpora. Nam luxatio ab vtrisque videtur fieri. Siquidem ipse solus, vt cum altero nõ congrediaris, luxes vel genu ambulando, vel mentum oscitando, aliúmve articulum, cum aliud quid agendo, tum cõuertendo. Iam etiam absq; externa caussa rumpas in corpore membrum, vbi te subito conuertas, vel salias vehemẽtius. Quare quot genera sint caussarum, totidem facile patiẽtium vel renitentiũ membrorũ infirmitatis & roboris. Proinde morbi, quos humores gignunt, omnia, prout firmis sint vel

Caussę internæ.

infirmis facultatibus expultricibus, tentant. Quia enim inter sese coaluerunt corporis partes, ex illis, quæ reijcere magis possunt vitiosos humores, aliò defluunt, atque ex his in alias, dum impingant in imbecilliorem, quæ debiliorem se partem, quò demittat noxium humorẽ, nullam habeat. Hæc si pars effluxũ habeat, vt intestina, vẽter, vesica, vterus, excernẽdo caussam, quæ molestat, euacuabit: si quidem subtilior sit materia partis canalibus. Sæpe etiã dirutis vasis, vel reclusis eorum ostijs, largior secuta vacuatio est, velut in sanguinis profluuijs citra vulnera. Quòd si nec ostia reserantur, nec vasa dirumpantur, crassus humor vel viscosus, si irruperit, in tumorẽ præter naturã attollit partem. Atq; hæc quidem virtus est membrorum & debilitas in affectibus, qui ex nobis generantur. Quæ foris afficiuntur, quòd incalescant, refrigerẽtur, siccentur, humectẽtúrque, videntur affici. Nam illa quidem, quæ contũdendo, vel secando, vel tali aliqua vi Caussæ externæ.

morbos animantiũ corporibus con-
citant, infrequentia ſunt. Erit ergo
in eiuſcemodi morbis aliud aduer-
ſus alium eorum vel imbecillum vel
firmum. Nam quæ ſua ſpõte mẽbra
ſunt frigidiora, hæc facilius refrige
rãtibus cauſſis cedẽt: quæ calidiora
calidioribus. Ad eundẽ modũ in ijs,
quæ in humida & ſicca intemperie
ſunt. At poſſunt horum ipſorũ quę-
dam à calfacientibus, vel refrigeran
tibus, vel ſiccantibus, vel humectan-
tibus cauſſis prompte affici. alia au-
tẽ pars, quæ firmã aſſecuta ſit facul-
tatẽ expultricem, ad alias mox ſuũ
malum detrudere. Quando igitur
pars validior vel infirmior nõ eſt ſim
pliciter, nec accipitur, ſed pluribus
& diuerſis modis: non eſt de propo-
ſito capite exiſtimare, neque pronũ-
tiare, verum, an falſum ſit. Hoc ta-
men cũ de hoc affirmes, tum de cæ-
teris omnibus, quæ de illis, quæ va-
rie dicuntur & intelliguntur, profe-
runtur indiſtincte, nihil definite de
illis, nec diſtribute poſſe ſtatui, vnde
nihil inde fructus auditores capiãt.

Validius membrũ multis modis accipitur.

Et quidem nõ mediocrem habet pugnantiam, quod in hoc capite eſt dictũ, vbi ait: At qui ad firmiora permeant ex infirmioribus, tolluntur facilius. A robore enim influxus facile arcebitur. Itaque diuerſis modis interpretes expoſuerũt ἀποκλείζεται. Quidam enim ἀποκλείζεται ſcripſerunt, alij ἀποκλεῖεται, nonnulli ἀποπαγιώσειται, tertia ſyllaba verbi ἀποπαγιώσειται per ω enũtiantes. Alij per η & σ, vt Dioſcorides, qui ἀπὸ τοῦ παγήσεθαι vult, pro repelli hoc verbum dictum. Verum ſi ex partibus infirmiorib⁹ noxius humor in firmiores fluens reiectus ſit, nihil ſic emolumẽti æger percipiat. Ita ſatius ſcribas dictionem hoc pacto: A robore enim influxus facile expendetur, id eſt, cõcoquẽdo & digerendo conſumetur. Aliqui vero principes partes cõtendunt dictas hic validiſſimas, qui orationem falſam reddunt. Potius enim ſit partibus principalioribus emigrare prauos humores in ignobiliores, quàm ex ignobilioribus in principes. Iam enim non raro, cũ in mor

bo articulari & podagra artus humo res peterent, & illic repulsi in principem aliquam partem inuasissent, morte conspeximus hominem affectum esse. vnámque restare spem salutis, si ad artum retrahere eos valeamus.

Venarũ quatuor paria.

CRassissimę venarum hoc modo propagatæ sunt. Quaterna sunt in corpore paria. Horũ vnũ ab occipite per exteriorem ceruicem ad spinam, inde ad coxas pertinet & crura. hinc per tibias, dum ad malleolos exteriores atq; pedes perueniat. Itaq; in dorsi doloribus & coxarum, sanguinẽ ex poplitibus mittes malleolísq; exterioribus. Alteræ venæ, quæ ex capite oriuntur propter aures per ceruicem, quæ vocãtur iugulares, intus à caua pręspina vtrinq; præteruectæ lumbos & in testes, & femora, & per poplitum interiorem regio-

nem, ex quibus per tibias in inte riores malleolos, & pedes. Proinde ſanguis detrahendus eſt ad dolores lumborum teſtiúmq; ex poplitibus ac malleolis interioribus. Tertium par venarum, ex temporibus per ceruicem ſubter operta ſcoptula, mox in pulmonem confluit, & ſe confert, altera à dextro latere in ſiniſtrũ, altera à ſiniſtro in dextrum. Ipſáq; dextra etiam ex pulmone ſubit mãmam, atq; ſe inſinuat in lienem, & renem. Altera illa, quæ in dexteram partem ex ſiniſtra ꝑficiſcitur, ex pulmone ſub mãmam, & in iecur atq; renem penetrat: Ambæ in ſedem hæ deſinunt. Quartum par à ſincipite, & oculis ſub ceruicem & clauiculas, ab his ex brachijs deſuper ad inflexus. Deinde per cubitos in brachialia & digitos. Rurſus

à digitis per pectinem & cubitũ & ſuperiore manuum parte ad inflexus: atque per brachios inferiores ad alas, pérq; ſummas coſtas, altera in lienem defertur, in iecur altera, tũ præ ventre in pudenda terminantur ambæ. Hoc modo ſe habent latiſſimę venæ. Diſtribuũtur etiam à caua vena per corpus multæ & variæ, quæ corpori ſemitæ ſunt nutrimẽti.

Cõtrouerſiarum in artibus duo iudices.

Controuerſiarum, quæ in artibus exiſtũt, partim ſenſus diſceptat, partim demõſtratio. Quæ ſub ſenſus cadunt iudicium, ſenſum poſtulant, cuius cognitio eſt, firmũ. Quæ ſub demõſtrationis, experientem rationẽ. Atq; de ciborum cõcoctione, quæ in ventre obitur, & de humorum, quæ hãc ſequitur, generatione, diductione, nutritione, & reliqua id genus, rationem, quæ de veterum opinionib⁹ exiſtimet, requirimus. An vero habeant ventriculos quatuor animalia quæ ruminãt, & vnum, quæ dentata

vtrinq; sunt, hic sensum cõsulimus, non demonstrationem. Atq; arguũt mendaces & quæ sensu iudicãtur, & quæ ratione, diuerso modo. Nã quæ ad sensus iudicium pertinent, ijs qui inter se disputant promptissime iudicium dant, si insectiones corporũ consulant. Quæ demonstratione disceptantur, vel sine insectione possunt scribenda demonstratione iudicari. Si ergo scriptis quis adigatur istos refutare, qui de præcepto aliquo ad incidenda corpora pertinente quod sensum habet iudicem, impudẽtissime decernere & imperitissime sustinuerunt: qui in dissecando quod conspicitur, non tenent, discernere à falsis veros nequeãt. Vt enim si Cretam neges esse insulam, ab omnibus damneris, quia insulam illam esse norunt: item si canibus affirmes quaternos ventres esse, vnum ruminantibus: rideant te illi, qui in ruminantibus quatuor, in canibus conspexerunt vnicum. Eodem modo habet in venis insecandis. Neque enim demonstratione ad iudicandum, sed

opus est sensu. Verum dum qui opi-
nionibus dissidēt, in scripta sua, quæ
visum est referant, latebit dissectio-
nis rudes veritas. Quādo igitur hoc
loco in eam dissensionem descendi-
mus cū ijs, qui à capite dicere sunt
ausi quatuor in corpus paria vena-
rum descendere: quia nihil prorsus
ex rationali demonstratione, cæterū
ex vno sensu doctore pēdet iudiciū:
nullam habemus ijs, qui dissectionē
non attigerūt, firmam scribendo af-
ferre demonstrationem. nisi sane ani
mum inducas, quæ de iudicādo sunt
monumētis prodita cū ab alijs qui-
busdam medicis pariter & philoso-
phis, tū vero præter cæteros ab Em
piricis, tibi proponere, & horū præ-
scripto iudiciū facere. Equidem nec
antiquorum arbitria, nec conspira-
tionem eiuro scriptorum, prẹsertim
si in argumēto, quod tractet, sit ver-
satus: velut Eudemus & Herophi-
lus in anatomia, Crateuas & Diosco
rides in medicamentis metallicis.
Quòd si quis excipiat iudicium, nō
modo octo venas de capite demit-

ti, ſed ne treis quidẽ probet vel du- as. Vna eſt enim vaſtiſſima vena, quã vocant cauã, per gibbũ iocino- ris tota animãtis longitudine porre cta: dirimit autem ſeptum tranſuer- ſum imam animantis regionem ab ſuprema. Hæc vena caua ſeptũ tranſ uerſum penetrat, contenditq; ſupra, ad cor, infra ad ſpinam ſecũdum io- cinoris gibbum peruecta. Itaque ex illa, quæ ſupera petit, tanquam cau- dice venas ſupra ſeptum trãſuerſum germinari aperte cernas. Ex altera, quæ ad ſpinam diuertit, inferiores. Horum Hippocrates in ſecundo li- bro morborũ vulgarium author eſt. vbi iecorariã appellat cauam venam. Hæc etiam cõfirmant, quotquot ana tomiam tractauerunt. Neq; octo ve- nas deferri in imam corporis regio- nem à capite alius, qui vel negligen- tius vel accuratius corpora inſecaret, aſſeuerauit quiſquam, non Diocles, non Praxagoras, nõ Eraſiſtratus, vel Pliſtonicus, vel Philotimus, nõ Mne ſitheus, non Dieuches, aut Chryſip- pus, nõ Antigenes, non Medius, non

Caua ve- na.

Euriphon, denique ex antiquis medicis nemo vllus. Quid dicam de iunioribus, qui anatomicam commentationẽ auxerunt plurimũ. ex quibus Herophilus eſt & Eudemus. quorũ nulluſdũ inuenta, nulla via & ratione ad memoriam vſq; Marini & Nomiſiani locupletauit, ne Heraclian⁹ quidem, qui cũ Alexandriæ non vulgarem conſuetudinem habui. Diſcipuli horum virorum fuerũt illi quidem & multi alij, ſed clariſſimi: Nomiſiani, doctor noſter Pelops: Mariani, Quintus. At Quintus nec librum alium vllum, nec de anatomia conſcripſit. Aliorum habemus anatomica monumenta non parũ multa. Quinetiam lucubrationes Quinti auditorum anatomicæ extant, Satiri item, quẽ nos audiuimus, & Lyci. Qui cũ omnes, prætérq; alij multi de anatomia commẽtati ſunt, nemo venarum animaduertit quatuor paria à capite proficiſci. Nam hoc quidem perinde eſt, ac ſi octo dicas Athenis arces eſſe, cum vna ſit ſola. Iam ſi quis cliuos Romæ octo dicat

inhabitatos, vel ſi alius ſex, vno mẽ tietur vterque. Quòd ſi quis vnum pro ſeptem affirmet collem incoli, aut contrà Athenis pro vna arce octo, longe illo vanior ſit, qui niſi in vno, verum dixit. Cum ergo vna vena ex iocinoris gibbo in ſuperiores corporis parteis diducatur, vel ſi ſuperne inſecare aggrediaris, non aſcendere, ſed deſcendere dicatur: vna ſemper reperiatur tamen: ab omnibus ridebere, ſi ſuperne demitti octo dicas. Nam ſiue ex alto deorſum voles affirmare, ſiue ferri ſurſũ ab imo, quã vocant iecorariam vel cauam venã, vnica eſt omnino per gibbum iocinoris permeans. Itaq; ſi alterius liber eiuſcemodi tradens anatomiam ſit inuentus, tacitum prætereas, nec ſingula capita reuoluere ſuſtineas: ſed hoc vbi acceperis tantum, venarum in corpore quatuor eſſe paria, repudiata tãquam ſtolida profeſſione, mox eam relinquas. At quando hanc doctrinam ſcriptis immiſcuit quidam Hippocratis, iacturam nos facere cogit tẽporis cũ huius ipſius,

quod in eo coarguẽdo ponimus, tum preterea, quo, quę praue adiecit, perlegimus. Ex occipite par, inquit, venarum exortum per ceruicem labitur, mox ex ſpinæ exterioribus partibus ad coxas delatum inde per tibiam pertinet ad malleolos exteriores. Alterũ par exurgit, inquit, ex regionibus aurium, defertur per collum, venæ appellantur iugulares. vnde quomodo prius par ex ſpinæ partibus externis, ſic ex internis hoc ad teſtes peruenit & femora, tum per poplites, ad interiores malleolos pertingit. Quæ ſi audiat quis, qui vno die animali inſecãdo interfuerit, quî ferat? Sunt quidẽ in anatomijs præcepta multa & obſcura, quorum fallere nonnulla eum, qui in ea cõmentatione ſingulariter non elaborauerit, poſſint. quo factum eſt, vt ſit de illis diſſenſio. Quod verò ad maximam venã attinet, adeo res perſpicua eſt, vt neminem, modo ex anatomia quicquã valeat percipere, lateре poſſit. Adeóq; eſt cõfeſſa, vt & ipſi cognoſcãt poetæ. Sane Homerus ait:

*Venámque reuellit,*
*Quæ dorso inuehitur, collúmque penetrat*
*vtrinque.*

Vnam igitur cognouit, vt reuera est, non quatuor: extra spinam duas, perinde ac duas illas, per spinã vtrinque porrectas. Verũ quatuor has, vt qui hanc scripsit anatomiam, finxit, nullum habet animal. Ab vna vena maxima illa per totos ĩterpositos spinalis medullæ terminos germina emittũtur. quod in secũdo libro morborum vulgariũ scripsit Hippocrates. Superior eius finis ad clauiculas est, inferior ad os sacrũ. Ille in iugulares venas finditur, hic in eas, quæ in crura distribuũtur. Quomodo igitur ille, qui secundum hoc par scripsit, duas perennes iugulares venas præter spinam existimat interius ad crura ferri? Quomodo autẽ ad interiores malleolos peruenire, cũ vna vena & ea sola in vtrũq; crus descẽdat: & non vna intra malleolos, altera extra, sed eiusdem sint germina? Iam his ineptius tertiũ est par venarum, quas fruticatas ex tẽporibus ait

ceruicem permeare, ſubire autem operta ſcoptula, & ingredi pulmonẽ. ex quo à directo curſu ad latera deflectere, atque alterã ex ſiniſtro tranſire ad dextrum, deinde ſub mamillam, in lienẽ, & in dextrum illabi renem: alteram ex ſiniſtro ſub dextrũ renem, ambas in ſedem præcipitare. Atqui ſedes bone vir (appelles merito, horum ſcriptorem) à caua vena ex lumbis accipit germina illo loco, vbi etiam à vena caua in vtramque partem expullulant vt rami magni, & in vtrumque crus tendunt. Nã pulmoni quidẽ, quis ignorat, non dicam medicorum, ſed coquorum, ex corde ſanguinem ſubminiſtrari per magnam venam. quod, qui tertium hoc par cõmentus eſt, nulla huius ſermonis parte appellauit. Imo quem inter viros anatomię peritos quidã totius corporis venarũ eſſe ſtatuunt fontẽ, huic propoſita oratio ignorat venã vllã ſuppeditare. Quinetiã emergere quartũ par à ſincipite & oculis voluit, ſubire autẽ ceruices, ipſaſq; clauiculas, & bra-

chiũ ingredi,ad vtranq; scilicet manum vnã:cum autẽ decurrerint in digitos, sursum per totam manum ad alam reciprocari, hinc percurrere summas costas, alteram in iecur, in lienem alterã:postea à ventre profectas in genitalia desinere ambas. Itane hæ quidẽ cordi impartiunt quicquã. Quî tandem ergo iste,qui hæc tanq̃ nouus plane Prometheus somniauit, tanti visceris oblitus est cordis? At nec cerebri mẽtionem fecit. Scilicet & hoc malleolis erat inferius.Illud vero,de renibus quod attulit,omnem stuporem superat. Quibus caua vena maximas mittit, his neglectis, quasdam ex pulmone fingit ijs inseri.Planum est igitur ex omnibus,non vt quidã insecantes aliqua prætereunt, ita etiam hunc neglexisse,sed plane vidisse nihil.Qui enim quæ maxima sunt, non videt, hũc nõ cæcutire, sed omnino videre nihil merito dicas.Itaq; similem esse insomnijs ebriorũ hanc orationem, quę à capite venas in vniuersum corpus distribuit,nemo est, qui vel à li-

mine anatomias salutauit, quin vi-
deat. Nam nonnullas paruas potue-
runt insectores negligere. at nemo
aliter certe aliã scripsit, neque præ-
termisit, quę percipere vel cæci pos-
sent admotis digitis. Vna nanq; ve-
na est, quę sanguinem in totũ corpus
riuat, ex qua multæ, sicut palmites
ex trunco, venæ adolescunt paruę,
quæ omnibus corporis partibus il-
lum dispensant. Quare si cauæ venę
sanguinem fluuio compares, & qui
fluit ex illa in membra, canali, ne sic
quidem dãnetur tuũ simile. Verum
siue cum fluuio, siue cum trunco cõ-
feras magnã venam, vnã certe esse
hanc omnes medici consentiunt, ex-
tra illum, qui in hunc librum retulit
audacissime quatuor ista paria. Nam
vt alia iam prætereã, nec cordis me-
minit nec ipsius magnæ venæ: cum
mentionem fecit tamẽ iugularium,
in quas illa in supremo thorace di-
scerpitur. Nam quod inter hanc re-
gionem interest, & extremam spinã,
id tenet magna vena, vtrinq; venas
emittens. Hæc dissecatur ex vtrisque

terminis ſuis & partibus bifariam. Efferuntur maximę per collũ venæ, quas nominãt iugulares: Deſcendit vero in vtrunq; crus, vti docuimus, vna illa quidem, ſed maxima vena. At collum quę penetrant, quæ iugulares vocantur, has in ſecundo pari nouus iſte Prometheus cõmemorauit, quo maximũ ſuum ſtuporem audaciamque prodit: cũ de cauæ venæ partitione, ex qua hæ generantur, nuſquã meminerit. Deberet enim, ſi tantulũ in anatomia vidiſſet, coeuntes in vnum iugulares dicere, vnam efficere venam iecorariam, vel cauã, vel quoquo modo appellare alio viſum ſit. Quòd ſi de ijs veluti perpetuis duabus ille ſcripſit, dicens per internam regionẽ ſecũdum ſpinam in malleolos interiores deſcendere, quid iã de venis amplius dicas, quas à quatuor paribus deſcripſit? quas à caua vena nutrimentum putat in vniuerſum corpus ſupportare: quaſi vero quæ recẽſuit, paria quatuor, aliã ob cauſſam ab natura ſint producta, nec eundẽ omnęs venę habeant

cõmunem vſum, ex iocinore ſubuehendi omnibus animantis membris ſanguinem. Illarum autẽ, quæ ex vẽtriculo & inteſtinis ſuccũ ciborũ in iecur inferunt, quæ hoc ſuperet, eſt nulla. Imò verò multis iocinoris locis non apparent. cum numeroſiſſimæ ſint, vbi ventrẽ cæteráque inteſtina contingunt: verum vnam in ſedem, quas iocinoris portas appellãt, conueniunt vniuerſæ. Qui huic loco nomen portas princeps poſuit, vrbi iecur vel amplis ædibus cõparauit: agris, inteſtina ventrémque, ex quibus per multas venas tanquam vias quaſdam frumenta in ciuitatis portas vel ædium importantur. Delirat igitur nouus hic Prometheus in animante, quam pro libito ſuo fingit. Neque enim quiſquã certe animantem cõformet, cui ex vẽtriculo & inteſtinis venę alimentũ in totum corpus diſtribuant. Nam in vnũ omnes locũ coguntur iocinoris portas: hinc viſceris huius venæ, ſupportatũ alimentum excipientes, in cauã deducunt venã: vnde, vt modo dixi, ſan-

Portæ iocinoris.

guis toti distribuitur corpori.

FErunt etiam à crassis venis in cauã venam & in reliquũ corpus, atque ab extimis intro, mutuóque impartiũt & intimæ extra, & extimæ intro.

Sufficerent nouo huic Prometheo quatuor venarum illa paria. At satis ei non fuerũt. verum vt fuit inexplebilis, turpissime illis etiã has adiunxit, quæ corpori ex caua nutrimentum suppeditant. Atque nunc coronidem disputationi de venarũ communitate imposuit verum locutus. Venarũ enim, quæ ex caua propagãtur, quas appellauit crassas, nulla in alia distributa paria, ventri videtur vel intestinis insita. Vt igitur in hac anatomia verbũ verũ, qui hæc somniauit, nullũ protulit: sic in illa, quã tradidit secundo vulgarium morborum libro Hippocrates, nihil prorsus errauit. Vnde insaniunt isti, qui Hippocratis libros, cũ anatomiam ne per somniũ quidem viderint, aggrediũtur interpretari, maxime illi,

qui ſeſe nominant Hippocraticos, eiuſdẽ viri has etiã eſſe nugas cenſentes vniuerſam venarum inſectionem, illámque in ſecundo libro morborum vulgarium ſedulitatẽ. Nam ſi quid præterea in alterutro eorum inuentum ſit, potuiſſet idem vir ſe ipſum die ſuperare, atque ſua priora bona præcepta cumulare. Sed vero quando ipſum Hippocratem videmus exacte nõ hęc modo literis mãdaſſe, quæ omnibus plane perſpecta ſunt, ſed etiã abſtruſa: illum autem, qui hãc inſectionẽ fecit, hallucinãtẽ etiã in illis, quæ vel palpando inuenias, qui vtrunq; ſcripſiſſe eundem dicas? Iam hoc cui probabitur, eum, qui de hominis elemẽtis totam diſputationem exegiſſet, mox huic de venis ſubtexuiſſe? Aut enim tota anatomia erat tractanda, aut non ſuſcipienda de venis. Nam hoc quidem cõmentariorum, quæ memoriæ gratia cõſcribimus nobiſipſi, proprium eſt, cum tã varia præcepta referuntur. Volumini minime conuenit expletæ inſtitutioni priori alterius an-

nectere particulam, mox hac dimissa aliud atque aliud agere, quod in his accidit, quæ libro de natura humana subiuncta sunt.

SAnguinẽ igitur mittes ex horum præscripto.

Quæ scilicet præmonuit, cum ad finem in primo pari venarum subiecit hęc verba: Itaque in dorsi doloribus & coxarum, sanguinẽ ex poplitibus mittes, & ex malleolis externis. Alteri pari hæc adscripsit: Proinde sanguis detrahendus est ad dolores lumborum testiúmque ex poplitibus & tibijs interioribus. In tertio pari quartóque nihil prȩcepit de secãda vena. Proinde, quatenus multa præterijt membra, quorũ tradendæ erant venæ, quas incidemus, hactenus doctrinam non cõpleuit. Sed sicut ab integra anatomia exilẽ partem descripsit auulsam, ita quod de sanguine mittendo retulit.

VIdendum autem est, vt sanguinẽ quàm lõgissime ab locis mittamꝰ, quos obsidere dolo-

rẽ animaduerterimus: ſanguiſq; cõtrahatur. Nam ita demum, cũ minima nec opinato cõuerſio incidat, tũ cõſuetudinẽ præcideris ne eodem loci cõfluat poſthac.

Τομαί. Vſurpaſſe τομὰς hunc venarum, quas cõpoſito nomine appellamus φλεβοτομίας, recte interpretes intellexerunt, omnéſq; in hoc conſentiunt. Quòd vero nõ explicuit, an à dolẽtibus partibus procul reuelli influentes humores pręcipiat, an ſanitatis tempore, hoc nomine ſit reprehendendus. Equidem de valentibus potius dictum cenſeo. vt author aſſuefacere velit exundantes humores in alia membra fluere.

QVi extra febrem multũ puris expuunt, & quibus citra dolorem in vrina puris multũ ſubſidet, & qui deijciũt cruenta, vt in dyſenterijs, & diuturna, quæ iuuenes natos annos quinq; & triginta maioréſque infeſtãt,

hi spõtaneis ægritudinibus affli-
gũtur omnes. Quare hos in ado-
lescentia, in ærumnis, laboribus
corporis, & operibus vixisse o-
portet. deinde laboribus deposi-
tis molli carne cõcorporatos es-
se, lõgéq;, quám prior esset, alia:
ac multũ superius corpus ab eo,
quod accreuit postea, dissidere,
vt nihil inter ea conueniat. Qua-
re si, qui hoc in statu sunt, in mor
bum incidant, in præsenti quidẽ
euadunt: sed post morbum tem
pore funditur corpus, perfluítq;
venas, qua maxime patent, sa-
niosum. Quod si vẽtrem imum
petat, quale continebat corpus,
tale euadit ferè, quod deijcitur.
Quia enim decliuis est via, non
subsistit in intestino diu. Quib9
influit in pectus, fiunt suppurati.
quippe cũ accliuis purgatio sit,

longo tempore cõmorans in pectore putreſcit, & fit purulentũ. Quibus in veſicã eructatur, ab huius loci calore albeſcit excernitúrque, atque quod eſt rariſſimum, innatat: craſſiſſimũ, quod quidem pus vocatur, ſubſidet.

Totum hoc caput clarũ eſt, attentúmque animum, non interpretẽ requirit, qui declaret. Sed an vera omnia ſint, partim experimẽtis, partim ratione examinandum. Experimentis, ecqui viſi ſint, qui pus febre liberi expuerent, aut cum vrinis excernerent. Ad hæc an cum antea multis in ærumnis viuerent, nunc multo tẽpore ſoluti fuerint. Prꝉterea an ægri hi incolumes fuerint, & pòſt ijs iſtꝉ purulentæ excretiones acciderint. Hꝉc exiſtimanda experimento ſunt. Ratione, cauſa, à qua author has exiſtere ait, vera ſit an ne falſa. Nã quæ attulit, nulla niti neceſſitate, clarum eſt ijs, qui in demonſtrandi via & ratione ſunt verſati. Ecquid vero ha-

beat probabile, ſecum quiſque expẽdat. Poteſt ſane aliqua ratione veriſimile eſſe. Nam de his quidem, quæ demonſtrãt experimenta, habeo & ego tantulũ affirmare. Cruenta quidem vidi ventris excrementa, quæ habuerunt multa, qui ſolitas exercitationes vehemẽtes dimiſiſſent, excrementum tamen purulentum nullum. at frequenter muccoſa incertis circuitibus & certis cum vrina reddita & aluo deiecta ab his conſpexi. Nec nõ ſputa cocta illa quidem, nõ tamen purulenta.

NAſcuntur etiam pueris calculi ob loci huius calorẽ, totiúſq; corporis. Viris calculi ob corporis algorem non innaſcuntur. calculi generatio.

Loci puta veſicæ, de qua in fine ſuperioris orationis in hũc ſcripſit modum: Quibus in veſicam eructatur, ab huius loci calore albeſcit. Itaque innaſci pueris dicit calculos propter calorẽ veſicæ ac totiꝰ corporis. Mox ſubijcit de puerorum calore:

Quæ ætas calidissima.

NAm hoc plane sciẽdum est, primo die hominem in omni vita calidissimum esse, postremo frigidissimum.

Si simpliciter hominẽ dicas absque limitatione, primo die esse calidissimum, sermo non est verus, cum distinctione verus. Nanque calidissimus est, si dicatur innato calore. Hoc enim pueri plurimo abundant. Ille qui orationẽ, quam in manibus habemus, conscripsit, id quod est huius orationis caput, vt proxima declarabit oratio, non est assecutus. offendes enim, non ita hunc, vt dixit Hippocrates, quæ augentur, plurimo hæc natiuo calore prædita esse, statuere: verũ prætermisso natiuo, ducere simpliciter, quæ crescunt, calida esse.

Pueri plurimũ habent innati caloris.

COrpus enim, quod adolescit atque ad vim progreditur, caleat necesse est.

Cum dixerit, quæ increscũt, Hippocrates, habere plurimum caloris natiui: Hic calore pollere, quę auge-

ſcũt,ſimpliciter intelligere videtur, nõ adiecto ad ſermonẽ natiuo. Nam cum ad vim progrediatur, dicit eſſe calidum. Ad vim progredi in hunc modum eſt accipiendum. Opus exiſtimat eſſe violentum validúmque, incrementum. Atq; vt reliqua opera valida laborantes excalfaciũt, ita incremẽtũ. Sed contrà dicere debebat: caloris innati gratia creſcere pueros, nõ incaleſcere cauſſa incrementi. Nã calor natiuus, non modo moderatus eſt calor, ſed humidus etiam. Rationis eſt igitur, vt eiuſcemodi corpora creſcant. In tres enim dimenſiones diſtenduntur, vt ſi inflarentur. Itaque omnibus illis amplificantur. Hæc ergo in omnem partem natura inſtrumento ad hanc rem vſa innato calore, intẽdit. Humiditas, cur protẽdantur facile, in cauſſa eſt. Pueri porro plerique quia ſunt voraces, humoris, quẽ appellant proprie crudum, colligunt maximã vim. ex quo calculus generatur. cauſſa huius eſt cauſſa efficiens calor. Calculi

AT vbi marceſcere corpus ac præcipitare cœperit, fit frigidius.

Iterum hic, quãdo ijs qui inclinata ſunt ætate, corpus nihil augetur, ipſum ex otio ait euadere frigidius. At rectius cauſſam inuertas. Quandoquidẽ natiuus eis calor imminuitur, ſimul cõſiſtit incrementũ. Apertius ſuã mentem author capite proximo aperuit.

HAc ratiõe efficitur, vt quàm plurimum primo die homo creſcat, tã reddatur calidiſſimũ: atque die extremo quàm cõmarceſcat plurimũ, tam fiat neceſſario frigidiſſimum.

Ordine igitur ſuperiorẽ interpretati ſumus orationem, vbi ait: Corpus enim quod adoleſcit atq; ad vim progreditur, caleat neceſſe eſt. diceret enim ille ediuerſo, ob calorẽ natiuum quod creſcit, increſcere: non quod augeatur, ideo incaleſcere. Eodẽ modo de eo quod ſeneſcit. Quo-

niam amplius non creſcit, putat id, quia quieſcit, quod ante agebat incrementum, frigeſcere.

QVi ſic habent, ſani ſua ſpōte fiunt, plurimi id temporis, quo tabeſcere incipiunt, quadraginta quinq; diebus. Hoc ſi qui tempus prętereant, anno ſua ſpōte, niſi alia re lædatur homo.

Quos appellat ita affectos? nempe eos, quos commemorauit ſupra inertia deſinere exercitationes, ac pus expuere & cum vrina reddere, atq; dyſenterijs corripi. Ego quidē multos, inquam, vidi, qui ab ærumnis vitam & laboribus ad deſidiam cōtuliſſent, cruētis correptos dyſenterijs. At pus tamen, quos equidem viderim, tuſſiendo nullos vel cum vrina reddidiſſe: putauerim vero cenſere hunc, quem crudum appellant humorē, cū ſit percoctus, pus eſſe. Neq; mirum ſane, cum Eraſiſtratus quoq; in febricitātibus ſubſidētia in vrinis non eſſe hunc humorem, ſed pus ducat, nedum valentibus, qui voraces Pus.

sunt, eius magnam copiam ignora-
uit subsidere. Atqui permultos con-
spexi, qui, cũ otiosi aliquandiu fuis-
sent, cum vrinis magnã excernerent
copiam, muco quem vocant, assimi-
lem. Et cum quibusdam eorum tar-
de permeauit, puris, quod excerni-
tur, videtur simile. Vt etiã in respi-
rationis organis. propterea quòd lõ-
go tẽpore ea tincta coquãtur. Cuius
etiã hic ipse nuper caussam retulit,
cũ in dysenteria decliuem viã caus-
sam poneret celeris excrementorum
meatus: In ijs quę expuantur, accliuẽ
tardi: in vrinis, loci calorẽ. Quòd si
quis à crudo humore distare nihil cõ
tendat vrinarũ pus, aut sputorũ, aut
excrementorum: alterutro hic in vi-
tio est. aut enim vltro, vt suæ sectæ
cõstet, dissimulat: sicut Erasistratus,
qui inflãmationi omneis febres vult
succedere: aut sophistes est, qui artis
opera non attigerit, quos recte anti-
qui λογιάτρους appellant. Calore enim
pus, & crassitudine, odoréq; recedit
à crudo humore. Et vero etiam per
nares crudi humores, & per os circui

Puto legẽdũ detenta.

tibus incertis & certis, vnde cerebrũ purgatur, excernitur. Quã purgationem qui ſuperius hoc ſcripſit caput, prætermiſit. Iam merito dixit prędictos ſua ſponte ſanos fieri, id eſt, citra noſtram operam. Quippe quos abunde natura purget. Purgationis ſtatam diem duplicem his præfixit. Vnam eo tempore anni, quo cõmemorata ijs purgatio cœpiſſe contigit. Alteram productam in annum. Quinetiam breuem in quadraginta quinq; dies prorogari. Sunt qui non quadragintaquinq; ſcribãt, ſed quadraginta. Atqui, cum hoc pacto non paucos ab natura viderim purgatos, non duas tantum horas purgationis animaduerti, quod hic tradit, verum etiam perquam multas. Alia enim alius ſtata die eſt prorſus perpurgatus, hi diebus quadraginta, illi in menſes extracti ſunt numero nõ pares. fuerũt, qui ſolidum annum huic ſymptomati manſerunt obnoxij.

Purgationis ſtata dies duplex.

MOrbi qui ſubito oriũtur, & quorum ſunt apertæ occa-

Morborũ acutorũ curatiões

ſiones, denunties certiſſime. His medebere morbi occaſioni occurrendo. Ita enim, quod morbũ excitat in corpore, diſcutiatur.

Huic refragari illud ex Aphoriſmis videtur: *Acutorum morborũ non plane ce:to prænunties neque ſanitatem, neque mortem.* Quod extricare Sabinus cũ moliretur, verboſus fuit, nec veri adduxit tamen quicquã ſimile. Itémq; aliorũ magna pars, qui hunc librum ſunt interpretati, parum mihi videntur, quid ſignificet ἐξ ὀλίγου eſſe aſſecuti. Putant illi quidẽ de breuibus ſermonem & acutis haberi. Ego vero crediderim nõ de his dici hoc, imò de illis, qui ex manifeſtis cauſſis ortum trahunt repentinum, breui non diu cõflatũ. Nam in his, quòd cauſſa quæ ſit & quanta, tenetur, de futuro præſentire eſt procliue. Qui longo ſpatio pedetẽtim geniti, cauſſam nõ habuerunt, vnde exiſterent, claram, in his non perinde præſagitio certa. Recentes cauſſæ morborũ ſunt, fer-

ἐξ ὀλίγου

uores, frigora, vigiliæ, mœstitiæ, curæ, cruditates, durum cubile, lassitudines, crapulæ, & id genus alia. Itaq; etiã curationẽ eorũ dictauit per illa, quæ occasioni repugnãt morbi. Exẽpli gratia, si feruore sit quis adustus, refrigerabis : si friguerit, calfacies: si defessus fuerit, recreabis: si præter morẽ feriatus, largius exercitabis: si repletus, vacuabis: si vacuatus, replebis. quomodo dixit etiã antè illo capite, cuius initium est: Quos repletio parit morbos, vacuatio his medetur.

Caussæ morborũ recentes.

QVibus in vrina subsidẽt veluti arenulæ, aut pori, his tubercula ad crassam venã enascuntur, ac suppurant. quę quando tubercula tardius eruperint, ex pure concreuerunt, pori, qui cũ vrina per venam protruduntur in vesicam.

Existant quidem aliquãdo hac de caussa, quã adduxit, eiuscemodi vri-

næ: exiſtãt etiam ipſo rene citra magnam venam ſimiliter affecto. At ferè illæ vrinarũ excretiones citra tubercula proueniunt, vbi craſſus, aut perquam viſcoſus humor, qui lente permeet, à loci calore cogatur deſiccatus.

QVibus vrina tantũ eſt cruenta, his venæ laborarunt.

Laborare

Qua de re dictum ſit laborarunt, haud liquet. Poteſt enim ſignificare, defatigatæ ſunt, vt fatiſcentes ſemicrudum generent ſanguinem, atque profluat ob imbecillitatẽ facile, aut vt alienum illæ excernant. Denotet etiam communiter laborarunt, affectæ ſunt, renibus nihil affectis, ſed tenente ſolas venas vitio. Sed quod tandem illud ſit, hæc enarratio non enucleat. At planum eſt, nec Hippocratem, nec Polybum ὀρήματα fuiſſe dicturum, cum poſſent dicere ὁκόσοισι δὲ αἱματώδεα τὰ οὖρα. Nam cum perſæpe Hippocrates ſcribat οὖρα, nuſquam vſurpauit ὄρημα. Et quidẽ mul

ὀρήματα.

ta alia quæ ſubdole hic inſerta ſunt, manifeſte nec Hippocratis ea eſſe, nec Polybi arguunt.

QVibus ſimul cũ vrina craſſa carunculæ ſpecie pilorũ effluũt, ſignum eſt in renibus vitium eſſe, aut articularem morbum laborantibus.

Hic aphoriſmum hunc interpretatus eſt: *Qnibus vnà cum vrina craſſa carunculæ, aut tanquam pili effluunt, his excernuntur hæc ex renibus.*

QVibus vrina interim eſt liquida, interim in ea innatant veluti furfures, his ſcabioſa eſt veſica.

Hoc rurſus loco illum aphoriſmũ eſt interpretatus: *Qnibus vnà cum craſſa vrina furfureum quid expellitur, his veſica ſcabioſa eſt.*

MAxima febrium pars bilis ſoboles eſt, quarum formę extra eas, quæ dolores eximios Febrium cauſſæ.

comitantur, ſunt quatuor. Harũ nomina ſunt, continua, quotidiana, tertiana, & quartana. Continua, quam vocãt, à copioſiſſima bile fit eáque meraciſſima, iudicationéſq; ſynceriſſimas breuiſſimo temporis ſpatio efficit. Corpus enim quia nunquam refrigeratur, ilico contabeſcit, vtpote multo calore feruens. Quotidiana à plurima ſecũdum continuã bile oritur. Hæc præter alias ocyſſime diſcedit, ſed cõtinua eſt productior: quia ex parciore naſcitur bile, requietémque corpus habet: In continua nullo requieſcit momento. Tertiana q̃ quotidiana longior eſt, ortũmq; habet ex pauciore bile. Quo diuti⁹ in tertiana corpus quàm in quotidiana quieſcit, hoc febris hæc prolixior eſt, quàm quotidiana.

Cõtinua

Quotidiana.

Tertiana

Quartanæ alia habēt paria, nisi hoc tertianis sunt longinquiores, quo bilis, quæ calorem incendit, magis sunt expertes, & corpus liberalius refrigeratur. Hunc cumulum illæ, & difficilem discessum atræ bili referūt acceptum. Atra enim bilis omnium, quę in corpore insūt, [& est lētissima, & diuturniores statiōes facit. Nam esse melancholici humoris quartanas febres participes, hoc argumento sit. Autumno potissimum homines tentantur quartanis, & à quinto & vigesimo ætatis anno ad quadragesimūquintum. Hæc autem ætas maxime præter cęteras atrę bili obnoxia est, supráq; omnia anni tempora autūnale. Quòd si qui extra hoc anni tēpus, & hāc ætatem, quartana corripiantur, hanc febrem Quartana.

ſcito, niſi quid homini aliud offi ciat, non fore diuturnam.

Pleriſque interpretibus, in quibus Sabinus eſt, mihi vſu venire videtur, quod homini aqua laboranti inter cutem, qui reduuiam ſuam velit ambitioſum medicum curare. Nam alterutrum eſt, aut hic non animaduertit vniuerſo ſe corpore affectum, aut non requiri putauit curationem. Eodem interpretes modo aut cæcutire animi oculo puta: aut in hac eſſe opinione, vt leuia vitia medicinã poſtulent, nullũ flagitent magna auxilium. Veluti enim ex alto ſomno excitati, pugnare cum Hippocrate propoſitum caput perceperũt. quòd cum aperte Hippocrates in primo libro morborum vulgarium & in aphoriſmis tertianam iudicari celerrime dixerit, in hoc tertiana quotidianam affirmet breuiorem. Itaque Hippocratis eſſe librum, quòd hæc ſcilicet falſa ſint, nec cum alijs conſtent Hippocratis ſcriptis, negant.

Nam ſi hactenus tantum hunc, qui iſtos in medio errores inculcauit, mentiri intellexerunt, repugnaréq; Hippocrati, reduuiam cernẽtis ſunt ſimiles, qui vniuerſum corpus non videat grauiſſime affectum. Quem enim fallit productiorem eſſe tertiana quotidianam, hic ſe parum in medicinæ operib⁹ prodit iactatum. Quanquam non impudenti ille ſtupore adductus hoc confinxit mẽdacium, ſed probabili impulſus ratione. Præſertim cũ inter maiores, quo etiam ex numero Plato eſt, fuerint, qui aſſiduas febres ex ignis abundantia oriri cenſerent, ex aeris quotidianas, aquæ tertianas, terræ quartanas. Atq; Plato quidem ita ad verbum ſcribit: *Ac corpus quod ex ignis exundantia laborauit, continuos æſtus & febres efficit. quod ex aeris, quotidianas. Tertianas ex aquæ, quòd aere hæc ſit & igne lentior. Quartum cum ex terra ſit, horum tardiſſimum, quadruplicibúſque temporis orbibus purgetur, quartanam creat febrem, atque ægre diſcutitur.* Si igitur lentiſſi-

Platonis ſententia de ortu febrium.

mum elementum Plato, id eſt, ſta-
biliſſimum & motu difficilimũ tem
poris expurgari quadruplicibus cir-
cuitibus ait, etiam inter ſe, veriſimi-
le putauerunt, eadem portione dif-
ferre cætera, qua nata eſſent: atque
proximum terreſtri elemento, quæ
quidem aqua ſit, finitimum quater-
no circuitui producere. & quod huic
ordine conſequens eſt, hic autem eſt
aer, quotidianum. quod verò cietur
perniciſſime, qui plane ignis eſt, fe-
brem excitare continuam. At verò
ratio, quæ harum cauſſam ortus in
elementũ natura calidum confert, id
eſt ignem, illa eſt probabilior. Nam
calidiſſimum affectum à frigido do-
minãte in corpore elemẽto, cui pro-
babitur gigni? Quare à calidi elemẽ
ti vi rationis eſt ægritudinem effici
calidam. Diſſident verò mutuo fe-
bres ſuis proprijs differentijs, quas
aſſcribere cauſſæ magnitudini debe-
bis. Quod ſi demus, febris maxime
aſſidua eadémque calidiſſima à plu-
rimo gignitur igni. Quæ ab hac eſt,

Febrium ortus ad calorẽ referẽdus.

Febrium ortus.

ſecundas parteis in quantitate fert, tertias tertiana, quartas quartana. diſceſſionéſq; harum conſequentes erunt cauſſis, citiſſimæ feruentiſſimæ febris: ſecundæ ſpatio, quotidianarum: tertiæ tertianarũ, quartæ quartanarum. Itaque quantum ad veri ſimilitudinem recte hæc dicta ſunt. Quod autem res ipſa docet, conuellit rationem. At in ſuperiore venarum anatomia, cũ quid veritati conſentaneũ adferret, non haberet, non ſemel in mendacio, aut iterum, aut etiam ter tenetur, cæterum perſæpe. Ac ne verbum vllum, vel caſu quidem illic verũ fecit. Quare nouum eſt, quid, cum in illis authorem horum ſecundum librum de humana natura in hunc locum vſq; omnium inſectati nihil ſint, hic confuſent, ideóq; Hippocratis illi poſthac non probent eſſe librum. Iam Sabinum & pleroſque interpretes, vel hoc nomine demireris, quòd quando laudibus ſuperiora omnia ſunt ſemper proſecuti, hoc mirifice virum eſſe lo

cutum, illud præclare, aliud diuine: nunc illa ipſis ſubito omnia exciderint, & vna reprehēdendi oblata anſa, mox librum inficientur eſſe Hippocratis, & traducant ad Polybum: quaſi aphoriſmos ipſi & librum primum morborum vulgarium perlegerint, Polybus illa non viderit, qui non poterat, cum Hippocratis eſſet auditor, de febrium differentijs non frequenter ex illo audiuiſſe, eiúſque raro peruoluiſſe ſcripta. Huc adde, quòd in ægris etiam ipſe tertianam viderat breuem, tardam quotidianam. Neque enim fuit ex eorum grege Polybus, qui Alexandriæ diuinarunt: qui cum ægrum nullum conſpexiſſent, ſtudioſos enecabant, nihil in medium proferētes ſani, quod exercitati aperte in ægris animaduertunt. Quare hæc qui ſcripſit, ſiue hic ſophiſtes fuit, ſiue veterator, vt videtur, induxit falſa, quò ſenem ſugillaret. Nam fuiſſe, qui hæc inferſit, minorem, indicat nomen συνόχου. Nūquam enim vel Hippocrates, vel

ex antiquis alius continuam febrem appellauit σύνοχον: neque verò vrinas etiam ὀρήματα, ſed ſunt iſta iuniorum nomina medicorum, qui priſcam dictionem ignorarunt. Proinde his iam relictis adulterinis, ad librum nos de ſalubri victus ratiõe, quam Polybi eſſe dictitant lucubrationem, conferamus.

FINIS SECVNDI COMMENTARII Galeni in Hippocratis librum de humana natura.

*

# POLYBI DE SALVBRI VICTV LIBELLVS CVM COMmentario Galeni, Hermanno Cruſerio Cãpenſi interprete.



Nus hic liber peculiarem habet titulũ, vt totius libri huius pars prima, vbi de Natura humana ſermo habetur. Nam in illo, quod receperat, præſtitit, omnibúſque numeris abſoluit. Et hic quæ inſtituit, toto opere tradit. Vnde vniuerſus liber, exceptis illis quæ his duobus libris interiecta ſunt, cõuenientem ſibi inſcriptionem ſortitus eſt: quam ei quidam de Natura humana, & victu fecerunt. Atque vt eſt prorſus liber de humana Natura inculpatus: omnino autẽ quæ inter duo hæc volumina irrepſerũt, reproba: ita liber de ſalubri victu fere caret errore, vbique cum Hippocratica elemento-

tum institutione cõiunctus. Sunt tamen eius certa loca, cæterum admodum pauca, quæ non absunt à menda. At esto, quod multis probatum est, Polybi.

Polybus author hui9 libri

IDiotæ hac debent victus ratione viuere.

Idiotæ.

Quosnam Idiotas appellet, huius libri interpretes, in quę equidem incidi commentaria, præterierunt. Nec vnquã ex præceptoribus meis, cum librum prælegerent, quæsiui. Nunc quãdo commẽtarium in eum statui scribere, male prætermissum à meis præceptoribus iuxtà atq; interpretibus, quosnam appellet idiotas, animaduerti. Etenim hoc quidem in confesso est, quam infrà victus rationem tradit, hãc Polybum non omnibus hominibus, sed solis præscripsisse idiotis. Atqui hoc libro si solis idiotis cõsuluit, parum recte interpretes libri indistincte acceperunt, quasi ad omnes in communi homines sit habitus sermo. Inueni-

mus enim ἰδιώτας à Græcis appellari nõ ſimpliciter, ſed in relatione ad aliquid. Nam hunc eſſe huius idiotã artis aiunt: illum illius exercitij. Eſt, cũ hos opponãt illis, qui gẽti alicui, aut oppido præſunt, aut omnino publicũ aliquod munus obeũt: itaq; qui veluti priuatam vitam agunt, idiotas hos, id eſt, priuatos appellant. Equidem cum mecum conſiderarem, quos de his Polybus vocet hoc loco idiotas, Athletas illum exiſtimaui à cæteris hominibus aperte ſeparare. quandoquidem vnam illi victus rationem in pane poſitam & carnium eſu habent. Ab his, qui militant, aut iter faciunt, aut etiam pugnant, quibus non eſt delectus habendus, quibus cibis veſci, aut nõ oporteat. His enim vti cogitur quiſque, quorũ datur facultas. Tametſi, qui quoquo modo feſtinãter faciũt iter, nequeũt fortaſſe vllo modo, vt dictat Polybus, rationem habere victus. Et breuiter, quicunq; negotijs publicis diſtinentur, aut vitã degunt, quam vo-

cant negotiosam. Quare ad hos solos, qui sibi viuũt, quos priuatos vocant, victus ratio, quã tradet, spectat.

Hyeme quæ seruanda victus ratio.

HYeme præ cæteris plurimũ edendum, bibendum quàm parcissime. Et potus esse vinum debet quàm meracissimũ: cibus, panis: opsonia, assa omnia. Oleribus hac tempestate præter cæteras paucissimis vtendum: Nam hac potissimum ratione corpus calidum & siccum fit.

Sumna totius victus commemorata, recte ad finem orationis adscripsit, qua de caussa singula, quæ dicta sunt, præscribat. Etenim calfacere corpus & siccare instituit, adductus temporis immoderato temperamẽto. Quod si moderatum sit, vt Vere est, moderatam victus rationem institueret. Conseruãda siquidem moderata sunt: quæ modum excedunt, immutãda. Iam mutatio non nisi ex cõtrarijs fiat immoderatis. Nã quod

vltra modũ corpus, aut iam eſt cal-
factũ, aut calefit, refrigerari debet.
Quod vero eſt refrigeratũ vel refri-
geratur, calfieri. Simili ratione in im
modica humiditate & ſiccitate vi-
tioſus exceſſus contrarijs admouen-
dis repellendus eſt. Ac contrariũ ex-
ceſſum applicare debemus, quæ ha-
ctenus à tergo medium & mediocre
relinquat, quatenus ab illo receſſit
vitioſus. Quocirca bruma, quia tem
peramẽto eſt frigido & humido, cõ-
ducit quamplurimum cibi ſumere:
bibere autẽ omnium parciſſime. Plu
rimum hic non ad facultatem refe-
res, ſed ad cætera anni tẽpora. Itidẽ
bibere omnium parciſſime, compo-
nes cũ anni reliquis tẽporibus. Eo-
dem eſt modo dictum, eſſe vinũ me-
raciſſimum debere, præ eius alijs an
ni temporibus mixtione. Verũtamẽ
pro viribus præſentéque vſu, mode-
raberis vinum & cibum offerẽdum.
ſic etiam ſomnum, exercitationes,
& in ſumma, quæcunque à Medicis
ſtudia appellãtur. Nam vinum qui-

dem meraciſſimũ, & aſſas carnes calfacere ſimul & exiccare, ſi cũ offa & oleribus cõferãtur, quis eſt, qui ignorat? Et panem item præ offa calfacere dixeris & ſiccare. Atque hæc quidem authorem attuliſſe exemplorũ vice duces. Tu porrò legumina deliges, quæ calfaciunt & exiccant, vt lenticulã. Præterea de oleribus, quæ hac ſunt virtute prædita, vt braſſicã: ſic ex carnibus, quæ ferarum ſunt & ſale conditæ. Sed & mihi quoq; hęc ſunt pro exemplis allata. Nam vniuerſa ſeparatim alimentorum ſylua tribus Commẽtarijs, qui de virtutibus alimentorum inſcripti ſunt, cõſtat. Itaq; quemadmodum recte ſunt hæc de cibis in qualitatibus deligẽdis & vitandis præcepta: ſic quæ de modo tradidit. Nam cibi, præ alijs temporibus, plurimum hyeme concedemus, memores probe in Aphoriſmis eſſe dictum: *Aeſtate & Autumno cibos difficillime ferũt: hyeme, facillime: ſecundum locum ver tenet.* Quòd ſi cui, qua de re hæc fiant, cognoſcere cor-

diſit,docuit & hoc in Aphoriſmis, his verbis: Ventriculi hyeme,& vere calidiſſimi ſunt:quòd aer id temporis frigidus intro arceat denſando,& in penetralibus corporis concludat innatum calorem,qui æſtate, perſpiratione digeritur. At reſpiratione aer attrahitur calidus. Reſpirationẽ voco, cum ſpiritus intro & foras per os fertur. Perſpirationem, quæ per totũ corpus ſimili modo fit.

Reſpiratio.

Perſpiratio.

AT vere ineunte,amplius potandũ & dilutius eſt,ac paulatim. Sũt præterea ſumẽdi molliores cibi, pauciorésq;, atq; panis ſubtrahendus,offáq; offerenda:tum opſonia eadem ratione. Iam etiam aſſa elixis commutãda, ac oleribus iam in vere paucis vtendum, dum æſtatem homo attingat. tum cibis omnibus vtendum mollibus, opſonijs elixis,olerib9 iuxtà & crudis & eli-

Vere quę victus ratio ſeruãda.

xis, poculis multo dilutiſſimis & plurimis, & vt ne magna mutatio ſit ſubito vtendi.

Ampliorem dixit, & dilutiorem, non plurimum, & dilutiſſimum Vere potum eſſe offerēdum. Nam plurimum & dilutiſſimum ęſtate iubet, quæ contrarium hyemi temperamētum habet, bibere. At Ver vt medio eſt inter extrema temperamēto, ita mediam requirit rationē victus, frigidiorem & humidiorem, quātum ad hyemem: calidiorem & ſicciorē, quātum ad æſtatem. Proinde ex his planum eſt, quemadmodum, quam tradidit ſeruandam æſtate & Autūno victus rationem, interpretari debeamus. Quare id quidē mihi prætereundum eſt: & lectoribus ſæpius nauitérque attendentibus dicta omnia clare ſunt, vt hactenus quæ habita ſunt, nullū deſiderent interpretē.

Ver medio eſt tēperamento.

Æſtate q̄ ſeruanda victus ratio.

AEſtate offa molli nutriri, & potu diluto ſimúlq; multo, tū opſonijs omnibus elixis opor

tet. Atque his ita, vbi ſit ęſtas, vti debemus, quo frigidū ſit & molle corpus. Siquidem tēpeſtas calida eſt & ſicca, corporáque reddit & aduſta & ſqualida. Quare his rationibus obuiandū eſt. Eodem modo, vt ex hyeme in ver, ita ex vere in æſtatē cum tranſitur, cibum deducere, potum augmentare debebis: atque in eum modum annum complendo, ex æſtate in hyemē peruenire. Autumno contrà cibi maiori copia, & ſicciores aſſumendi, & opſonia eadē ratione. Pocula pauciora, ſimúlq; meraciora: atq; cum hyems cōmoda ſit, homo perpetuo potu vtetur meratiore & pauciore, ciboq́ pleniſſimo: & ſicciſſimo: nā ita in primis valebit miniméque rigebit. Tempus enim hoc anni magnopere algidum &

humidum eſt.

Quę hic tractantur ſegmēta nullū deſiderant, qui interpretetur. ꝙ omnibus plana fecit Polybus: nec vllam quærunt purã viam & rationem: cęterum vt ſunt ſcripta, ita per ſe accipiuntur.

Victus ratio corpulētorum, mollium & rubicũdorum.

HAbitibus corpulẽtis, & multũ mollibus, & rubicundis, toto ferè anni tempore vti victu ſicciore ex vſu eſt. humida enim eſt illorum natura habituum.

Sicut temporum anni differentiæ aliam atque aliam rationem victus nũtiãt, ſic habitus corporis: ad quos nunc abſoluto de anni temporibus ſermone, deſcẽdit. Et vt accommodatam victus rationem demonſtrauit in temporibus anni, ita in corporũ formis. Nam corpulenti, molles, & rubicundi, tales ex temperamẽti humiditate euaſerunt. Qui contrario in ſtatu ſunt, de quibus modo aget, ex ſiccitate. Quamobrem cõuenit humidis ſiccior victus, ſiccis hu-

midior. Quæ ſi recte ſunt dicta, neminem latet, temperatis conuenire victum temperatũ. Temperatos voco, quos nec corpulentos, nec graciles, ſed appellant quadratos.

Tẽperati Quadrati.

Rigidi, contracti, rufi, & nigri ferè ſemper victu debent vti humidiore. ſiquidem corpora hæc ſicca ſunt.

Victus ratio rigidorum, contractorũ, ruforũ & nigrorũ.

Temperamentorum ſigna in commentarijs de temperamentis omnia ſcripſi. vbi rigidos, id eſt, duros: & contractos, id eſt, graciles eſſe tẽperamenti ſiccioris docuimus: & item nigros quoq;. At rufos non diximus ſicco temperamẽto eſſe, cæterũ hos, qui illis ſunt calore finitimi, quos flauos nuncupãt, quando & flaua bilis eſt temperamento ſicco. Verum quidam ſcriptores minorem in vocabulis vſurpandis diligentiam adhibentes, cõmittunt, vt rerum doctrinam confundant. Atque ſic nonnulli Germanos flauos vocãt, qui flaui tamen non ſunt, ſi nominis exactam ratio-

Germani rufi non flaui ſunt

nem ineas, sed rufi. Quod est huius reliquum orationis, tum recte, tum clare est dictum.

Vict⁹ ratio iuuenũ & senum.

CORporibus iuniorib⁹ vtilis victꝰ est mollior & humidior. Nã hæc ętas sicca est, & corpora etiamnum sunt concreta. Senes verò siccior victus plerunq; decet: quòd eius ætatis corpora humida sint, mollia, & frigida.

Hic ad ætates transit, vbi diuisionem non plenam fecit, qui eas nõ in quatuor differentias secauerit, sed in duas tãtum: cum deberet, siquidem ætatum temperamenta rationis victus studebat indices habere, sicut tẽperamenta quatuor sunt, sic dissecare ętates in quatuor, ac humidam & calidam statuere puerorũ, siccam & calidam adultorũ, siccam & frigidã eorũ qui ætate inclinata sunt, humidã & frigidã senũ. sed puerorũ ętatẽ conuenit esse humidã, quòd incremẽtum incidere in aliud tẽpera-

Ætatũ tẽperamenta.

mentum poſſit nullum. At ætati iuuenum, quãdoquidem plus iuſto calida eſt & ſicca, vtilis eſt cõtrarij victus vſus. Id quod etiam ad ætatem ſpectat inclinatã & vergentem. Verum de ętate ſenum magna eſt quęſtio, quam neglexerũt propè omnes: de qua paulo inferius, poſteaquã ætates ſatis expoſuero, verba faciam. Si nanque pueri plus habent citra controuerſiã, vt humiditatis, quàm eſt ex vſu omni ex parte valentibus: ita caloris (neq; enim ſimpliciter ſunt, vt iuuenes calidi: ſed innato calore, qui temperatus eſt, qui in bono eſt ſanguine poſitus) ætas quę inter pueros intercedit, & iuuenes, quæ epheborum eſt adoleſcentulorúmque, optimo fuerit temperamento. Atqui optimum quando mediũ eſt, victus etiam medio eſſe temperamẽto debet: vt neque humidius eorum corpus, neque ſiccius, neque calidius vel frigidius reddamus. Verũtamẽ corpus puerorum, quanquã habeat plus humiditatis, quàm ſalubris habitus

Ætas adoleſcẽtum & epheborum tẽperata.

Pueri nõ ſunt exiccandi.

postulat, nihilo magis est siccandũ. Nã incremento prohibeas illos. Sed iam quia senes nonnulli esse humidos volunt, alij siccos, atque id vtrique indefinite, faciundum nobis est, vt partim illos esse siccos, partim humidos declaremus: quod in cõmentarijs ostendimus de temperamẽtis, vbi solidis corporis partib⁹ esse declarauimus siccos: sed excrementorum quia ex temperamẽti frigiditate copia abundant, hactenus dicuntur humidi. Merito ergo, contraria & duplex ab hac ętate indicatio existit medicis: quòd ob solidarum partium siccum temperamentũ, humectari desiderẽt: rursus propter affluẽtiam humidi excrementi, desiccari. Itaq; quonam modo vtriusque possis rationem habere, abunde in opere de tuenda sanitate diximus. Hoc loco satis sit, summam illorum, quæ illic scripsimus, retulisse. Cibus, potus, & quæ reliqua sunt, spectent ad humidum & calidum, quasi senum solidæ partes corporis, quæ solæ re

Victus ratio senũ.

cte partes vocantur, humectandæ & calfaciendæ ſint. Rurſus reſpicienda eſt vacuatio pituitoſorum excremẽtorum. Quare ſi ex opere de temperamẽtis collegeris, & didiceris ſcita ratione proprium ſenum tẽperamẽtum eſſe frigidum & ſiccum: acquiſititia autẽ humiditate eſſe eos prędictos, quòd multa excremẽta pituitoſa generẽt: deinde illinc profectus ad commentarios de ſanitate tuenda, acceperis quoque, qua ſint victus ratione nutriendi ſenes, clare perſpicies, quod hoc loco eſt indiſcretum. Neque enim in duo erat humana vita diſcerpenda, neque ſenum dicenda corpora humida & mollia, neque victus eis ſicci temperamenti imperandus. Nam iuuenes cum dicat corpore eſſe concreto, & temperamento ſicco, cõſtat ſolos adultos eũ deſignare, hóſq; appellare iuuenes. Proinde puerorum præterijt, & inclinatam ętatem, atque vt equidem dico, præterea temperatiſſimam, quę media eſt inter pueros & adultos. Atq;

adeo deprehendimus ſuum ipſi eſſe ſuſpectum ſermonem. neq; enim ſimpliciter dixit, eſſe ſenes ſicco victu nutriẽdos, ſed addidit, plerũq;, quod valet idem, ac non ſemper. Id quod nec habitui corporis, nec alteri adiecit ætati. Nam ſuus cuique corpori eſt victus ſemper deligendus.

QVare pro ætate, anni tempore, & habitu eſt victus nobis ineũda ratio, obuiãdũmq; tempeſtatibus & æſtui, & hyemi. nam ita demum optima ſanitate degemus.

Hæc in ſumma dixit author cum clare tum vere: quę ſæpe nos, & multis locis explicauimus.

Iter quomodo & quãdo faciẽdum.

ET Iter facere hyeme, velociter debemus. ęſtate lento gradu. niſi in ſole iter faciendum ſit.

Quo pacto iter faciundum ſit ſingulis anni temporibus, docet. Nam eſſe hyeme eligendam deambulationem ſiccantem & calfacientẽ. Aeſta-

te contrariam ſpectandã: niſi in Sole, inquit, iter faciendum ſit. tũ enim feſtinato opus eſt, quo liberemur ocyus ſiccitate & calore, quæ corpori in itinere eiuſcemodi cõparantur.

COrpulentis ocyus eſt iter faciendum, gracilibus lentius. Multis balneis æſtate vtendum, hyeme minus multis. Gracilibus amplius quàm corpulẽtis lauandum.

Celer motus augendo plurimum calore corpus colliquat: in motibus remiſſioribus calor mediocris ſanguini efficiendo & nutritioni prodeſt. Quam ob rem animantibus, vt bene nutriantur, adiumento eſt.

VEſtes hyeme mũdæ ſunt induẽdæ, æſtate oleo infectæ.

Quid ſcriptor magis congruum, quàm quod omnes attulerunt interpretes, itellexerit, ipſe viderit. Quòd ſi mũdas, quia magis calfaciunt, aut halitum non interpellant, ideo vult

Quibus veſtibus vtendum

hyeme indui: & infectas oleo, quòd aut refrigerant, aut halitum obstruunt, non probo orationẽ. Nam mundæ vestes, quæ denso contextu sunt, maxime si lacernæ sint, refrigerant. Quo est harum commodior vsus. Nam oleo quidem infectæ, plane sordidæ sunt. Neque est quisquam hominum elegantium, qui vestiri tam spurce sustineat, idque æstate: cum etiam tẽporis diuturnitate plus calfaciant oleo infectæ, quàm mũdæ, licet primo occursu sint frigidissimæ.

Crassorũ q esse tenues volũt, vict⁹ ratio.

CRassi, qui tenues esse volunt, ieiuni exercitationes cunctas subire debent, & cibum adhuc anhelantes sumere, haud dũ refrigerati, & prius vinum bibere dilutum, non admodum frigidũ: præterea opsonia sesamis parare, & condimentis, aliisque id genus cibis. Ac opsonia pleniora sumantur. Nã ita paucissimis bellarijs saturabuntur.

Quod postremo loco huius orationis est dictum. Nam ita paucissimis saturabuntur, quidam de omnibus superioribus dictum volũt, quidam de opsonijs tantum, quæ sesamis, & similibus vult condiri aliisq; multis. Prædixit autẽ ieiunum exercitare: quod quidem aperte vacuat, vt replet à cibo exercitatio. Ad hæc ab exercitationibus anhelantes cibũ sumere, nondum eorum calore digesto aut refrigerato corpore: quam caussam esse, quo quis celeriter impleatur, liquet. Si vero alia ratione id huius libri author vult extenuare, nos præterit. Hoc certe satis noui, istud in caussa fuisse, cur multis viscera sint obstructa, in primis iecur: vt etiam à cibo pernices exercitationes. Præterea his, qui habent in iocinore arctos meatus alimẽti, balneæ obstructiones creãt. Sed hæc omnia distribute sigillatim in opere de sanitate tuenda explicaui. Restat vt caput ipsum cõsideremus, in quo ait: Et prius vinum bibere non ad-

modum frigidum:atque ita oratio-
nem instituit,quasi frigidum esse il-
lud,non admodum tamen frigidum
iubeat. Cæterum non ita statim vult
ab exercitationibus bibi vinum,sed
prius aquam,vt Athletæ docti expe
rientia faciunt. Nanq; vinum caput
tentat,si mox à balneo præ omni a-
lio cibo & potu bibatur. At nec fri-
gidæ post exercitationes potio, nisi
calidam præbibas,innocens est. Of-
fendit enim & hæc non obscure ven
trem ac iecur, nonnullis etiam ner-
uos. Iam corpus etiam auget frigi-
dum vinum,& author id extenuare
vult. Nisi fortassis fuerit aliter scri-
ptum, & sit lapsus librarius. (Nam
talia exẽpla etiam hodie multa cer-
nuntur)qui pro,non omnino calidũ
scripserit,non admodum frigidum.
Etenim qui anhelãtibus adhuc pręe-
bere alimentum vult, corpore mul-
tis vaporibus oppleto , volet etiam
vini potione calidi magis illos reple
re. sed quia magnopere calidum non
secus ac frigidum cogẽdo ventri at-

que cõtendendo ſit, cauet iſtam fraudem.

ET ſemel tantũ cibum ſumere, ſuperſedere balneis, duriter cubare, nudúſque obambulare, quoad eius fieri poteſt.

Rectius diceret parum cibi ſumere, quàm ſemel tantum cibum ſumere. Sunt enim, qui ſemel duntaxat cibum ſumunt, & longe plus comedunt his, qui bis. At vero vt balneũ corpus calfaciendo, maxime foris, ad digeſtionem refert, & digeſtorũ appoſitionem: ſic ſi non laues, contrarijs commodes. Iam durum cubile ſolicitat corpus, comprimit, cõſtringitque: itáque eius in omnem partem incremẽtum interpellat. Eadem ratione nuda deambulatio omneis ad cutem attinentes parteis refrigerat, tum vero in altum & viſcera calorẽ impellit, vt probe quidem concoquantur cibi: cæterum quo minus quoquo verſum permeent, obſtet.

Tenuiũ, q eſſe volunt craſſi, victus ratio.

Contrà qui ex tenuibus craſſiores volũt euadere, omnia hi contrà ac illi inſtituere debẽt, nec ieiuni quenquam laborem ſubire.

Cõtraria illorum, quæ obeſis præſcribebantur, hæc ſunt: non anhelantes ſumere cibum, ſed vbi iam ſecũdum naturam reſpirauerint: neq; ſemel tantum cibum ſumere, verum iterum aut etiam ter comeſſe. Item nõ abſtinebit balneo, ſed lauabit bis: vt tamen ſemper tempus à cibo, ſecundo balneo tribuat, interim etiam primo. Ita exercitationes quoq; breues & remiſſas obibit, eáſque à cibo. Eadem ratione molliter cubare, nec nudos in aere verſari hís conducit. Quæ cauſſa eſt, cur Athletæ quaſdã inſtituant ijs, quibus parare corpus ſtudent, exercitationes, quæ leui contactu, & corporis vmbratili obeuntur pugna, προσάπτεσθαι & σωματομαχεῖν illi vocant, vitantes, ne nudo eos corpore exercitent, nec complexu.

Contrà quos extenuatos volunt, celeleri exercitatione, ac citra primum complexum exercitant.

VOmitiones ſunt & vẽtris ablutiones in hunc modũ vſurpandæ. Sex brumalibus menſibus vomendum: quia id tempus æſtiuo eſt pituitoſius: & morbi caput tentãt, & regionem ſupra præcordia. At æſtus vbi vigeãt, vtendũ ablutionibus. Hoc enim torridum tempus eſt, & corpus bilioſius, & grauitates lumbos, & genua afficiunt, calórq; vrget, præterea vrgent ventrem tormina. Quare corpus & quę efferũtur, deorſum ab his locis ſubducenda ſunt.

Quando vomẽdũ, & venter abluẽdus

Quas vocet ablutiones, ex ijs quę ſequuntur author oſtendit. Hæc enim dicit, quæ ex lacte cõficiuntur, & ex ciceribus decoctam aquam, muriam & aquam marinam. Nam diſtant ab

his purgantia medicamenta, quæ totum corpus vacuant. Quare vt balneatores abluere se balneas dicunt, cum ab illarũ lapidibus cœnum abstergunt, & sordes. Ita ventris & intestinorum ablutiones pituitã eorũ & bilem abluũt. Quãdo igitur hyeme generatur in ventre pituita, author nobis est, vt pituitam vomitionibus expurgemus. Et bilem æstate innatantẽ, retrahamus deorsum. Veruntamen vniuersum corpus si purgare instituas, æstate ventre superiore, hyeme inferiore purgabis: vt est in Aphorismis relatum. *Nam quæ in præsenti abundant, his medetur purgatio, si per loca, quo vergunt, purgationem instituas. Siquidem ducenda sunt, quo inclinant per loca accõmodata. At quibus ne augeantur, velis obsistere, per contraria loca retrahere debes.*

Quę quibus purgationes cõueniãt.

ADministrẽtur ablutiões corpulentioribus, & humidioribus salsiores, & tenuiores: Sicciotibus, graciilioribus, & imbecil-

lioribus pinguiores,& craſſiores. Ablutiões pingues,& craſſę ſunt quæ ex lacte conficiuntur,& ex ciceribus aqua decocta,& id genus alijs. Tenues vero, & ſalſæ, braſſica,& aqua marina,& quæ eiuſmodi ſunt.

Quæ magis incidunt,corpulentioribus iubet præberi, quòd pituitoſiores hi ſint: leniora gracilibus,nã ſunt hi bilioſiores. At vero quæ ſint materię vtrorũque,ipſe ſubijcit.quę quia interpretẽ nõ requirũt,ideo ijs pręteritis,ad proxima me conuerto.

VOmitiones autem hoc modo facies:Homines obeſi,ieiuni vomant,currendo aut celeriter eundo meridie. obeſi quo modo vomere debent.

Vult craſſis, qui vomituri ſunt. corpus excalfactum: vt ſucci pituitoſi, quo plurimo craſſi abundant, liqueſcant. Quin etiam omnia reſerantur vaſa, & anguſti meatus hac maxime ratione rareſcunt. Faciunt

autem hęc omnia ad facilem & minime molestum vomitum.

SIt hysopi quartarius cōtriti in congio aquæ: quem ebibat, acetum effundens, & sal aspergēs, quo sit iucundissimum.

Incidentē esse potionē velle illū, & qua de caussa, non est obscurū. Nam homines crassi qnandoquidem humorum sunt pleni prorsus crassorū, & frigidorū, eorúmq; nonnullorum lentorum, ideo potionē eorum discutientē vult esse. Cæterum quem potionis, quam præscribit, modū propinet, nō habeo exacte dicere: quòd mensura, quem χοῖα vocāt, nos congium reddimus, nō sit apud omneis eiusdem amplitudinis. Si atticū imperat bibere, non mihi ille mos placet, multum enim esse videtur mihi. Erat tamen maioribus in more, si quando vel lactis sero, vel eiusmodi ablutione vtendum statuissent, magna copia offerre.

BIbat tardius primum, deinde celerius.

Nam à primo si affatim ebibisset, cōtinuo vomeret prius, quàm omne ebibisset, atque succos in ventre cōtentos abstersisset, quos cum vnà effunderētur, quos primę venæ habēt. Sin autem, primo lentius, postea omnino bibat largius, ea ratione fiat, vt mediocri tēpore continere possit, atque in tempore impetū ad vomitum capiet, quòd tandem magis affatim bibat.

GRaciliores, & imbecilliores à cibo vomitionem euocent hunc in modū. Calida loti præbibāt meri heminā, mox varios cibos ingerant, nec inter comedendum bibant, nec à cibo, sed contineant se, dum quatuor stadia quis progrediatur. Deinde illis in potum triplex vinum miscebis, austerū, dulce, & acidum: primum meracius, & paulatim, Graciles quomodo vomere debēt.

tractímque: deinde dilutius, celerius, & affatim.

Calida lotum, præbibere iubet poculum meracius, hac vt conijcimus, inductus ratione. Calido balneo totum corpus calfit, humores funduntur, vasa relaxantur. Quæ etiam vinum meracius præstat, eadémq; opera viribus robur conciliat, cuius habere ratione in gracilibus maximã videtur. Mox, inquit, omnis generis cibos ingerant. cuius non eandẽ omnes rationem, qui hunc librum sunt interpretati, scripserunt. Nam quibusdam illorum, varios cibos offerre videtur, quòd inter sese mutuo dissidentes, minori negotio vomitum cieant. Alijs, quo plus ingerãt. Nam simplices, & vnius generis mox saturant. Præterea, non illis concedit statim bibere, vt cibi mox ne innatent, quod cauet. Et ne istud accidat, tẽpus etiam constituit interea, quod commorentur, nutritioni sufficiens. Ipsúmque adeo tempus pronuntia-

uit, dum quatuor ſtadia quis progre diatur. Quæ poſt quàm ita præceſſe rint, dat bibere vina tria, quæ inter ſe ſunt diuerſis qualitatibꝰ. Nam ex his vinis hoc eſſe auſterum vult, illud dulce, aliud acidũ. Sed hoc etiam loco cauſſam reticuit, quam ob rem id præſcribat. Qui eius ſententiam diuinant, dicunt auſterum dare eum ob inſtrumẽtorũ, per quæ vometur, robur: dulce, vt vomitum concitet, ad hæc quod fundat humores dulce vinũ: acidum, vt abſtergat, quæ ventri adhærẽt. Potuit & cibos illis præſcripſiſſe diuerſarum qualitatum, vt hi ventrẽ confirment, illi vomitum ſritent, alij ſuccos abſtergant impactos. Verum quod frequenter in ſodalium meorum & amicorum cæterorum congreſſibus dico, nõ tacebo hoc loco. Non paruum eſſe iſtorum delictum cenſeo, qui rationalem ſectam venditant: qui omiſſa ratione eorũ, quæ dictant, pronuntiant, tanquam edicta regia. Nam multo erat ſatius ipſum libri ſcriptorem, ſingu

Quare triplex vi num ſit offerẽdũ.

lorum præceptorũ vim exprimere: vt fecit Hippocrates in libro de ratione victus in morbis acutis, vbi de ptisana loquitur. *Nam viscositas eius lenis, blanda, cõtinua, lubrica, & modice laxa est, sitim arcet, & vbi ablutione opus est, facile descẽdit, non astringit, non vellicat grauiter, neque in ventriculo intumescit.* Similiter de aqua mulsa, vino, aceto mulso, & balneis scribit. Vnde initiũ habemus viæ, qua nonnulla ab scriptore omissa, quæ eius sentẽtiæ sunt cõsentanea, adijciamus. Et nunc quidẽ cum alia protulit, non addita caussa, tum cur bibendũ sit vinũ primũ meracius & paulatim & tractim: deinde dilutius, celerius, atq; affatim: cogimur nos mẽtẽ eius cõiectare, qua scripsit: Est vero cum omnis alioqui ambigua coniectura, tum sane maxime, vbi hominis sententia etiamnũ ignoratur. Nam dilutius bibere vinũ, celerius, & affatim, de his, qui cupiũt vomere, non ab re videatur dictũ: quãdo illis qui retinere volunt, & concoquere alimẽtum, contraria

conferũt, meracius, paulatim, ac tractim. Quare autem, quæ retentioni sunt congrua, plane hæc offerat prima iamiam vomituris, non habeo, quid probabile adferã. Fortassis huius libri authori non alienum visum est, quod interpretibus nõnullis probatur. Quando hoc illi propositum est, vt vires hominum graciliũ, quibus hæc dictat, ne prosternat, ideo præter cætera eas cõfirmat, ac mox ad cientia vomitũ progreditur. Veruntamen ad vires cõstituendas tẽpus, quod à cibo sumpto dabatur, satis erat. Aliud alij, vt dixi, videtur, non tamen numerandum vt necessarium, quod demonstrationibus stabilitur firmis.

QVi consueuit bis mense vomere, rectius ille binis deinceps diebus vomat, quàm decimo quinto quoq; die. Alij planè contrà faciunt.

Et huius quoq; oportebat rationem scriptorem cũ primis adiũge-

re,quãdo indiſtincte dixit de vomẽ tibus bis quoque mẽſe. Video enim eſſe,qui vacuationis gratia vomant: vt alios,qui vnum diem menſe ieiu- nent. Et quoſdam,qui humorẽ hunc ventri impactum,aut viſcidum, aut craſſum expurgant. Sed nihil tamen cauſſæ eſt , quin interpoſito ſpatio iſta faciamus,non continuis duobus diebus.

QVi facile cibos reuomunt, aut quibus eſt aluus aſtri- ctior, omnibus conuenit his cre ctior, omnibus conuenit his cre bro die cibum ſumere , & eſcis vti varijs , ac opſonijs varie in- ſtructis,vina item duplicia bibe re vel triplicia. At qui cibos non reijciunt vomitu , vel aluo ſunt præditi ſana,his ex vſu eſt,vt fa ciant contrà ac illi.

Qui ventrem abſtergere,aut vni- uerſum corpus vacuare modice vo- lunt,his cõfert cibos euomere. Atq; hos ſæpius vult cibũ ſumere,eũmq;

varium, & diuersa vina bibere. Contrà, eos qui volunt vomere, ventrésque habent plus æquo humidos, vt quęrãt sisti, hos nec frequẽter comedere, & varijs cibis & vinis abstinere. Nam semel cibum capere, & eũ simplicem, vinum item vnum bibere, interest ad hoc, vt venter illa & retineat & concoquat. Contraria vero ægrius tum concoquuntur, tum in ventre commorantur. Et pro ciborum qualitate, & ordine sumẽdi, aut innatare illos, aut descẽdere per aluum contingit.

INfantes diu sunt calida lauandi, ijsq; vinum dilutum datare, quod prorsus tamẽ frigidum non sit, idque propinandũ, quod minime ventrem attollat, & flatum creet. Atque hæc facienda sunt, quo minus tententur conuulsionibus, ipsíque crescant, & melioris coloris fiant.

Infantiũ victus ratio.

Quo hæc dicta victus ratio spe-

ctet, ipse exposuit. Etenim vt minus, inquit, tentent conuulsiones, ipsique crescãt, & melioris coloris fiant. Nã calida qui multo pueri tẽpore lauã-tur, molles permanent: id quod con-uulsionibus resistit. Nã conuulsiones ipse Hippocrates frequentiores esse dicit corporibus contentis, quàm re-missis & laxis. Tum mollia corpora augescunt, quòd in omnem partem facilius intendãtur. Atqui quæ à cõ-uulsionibus libera sunt, probéq; adό-lescunt, his totum esse habitum sa-lubrem, id latet neminem. Ergo id ipse vno insigni prodidit nõ contem-nendo, coloris. Et vero etiam vinum hos dilutũ iubet bibere, nolens eos nimium calescere, idque adeo quòd non raro laborent cõuulsione, quod quidem neruorũ imbecillitati & vo-racitati acceptum referunt. Ideóque vinum ijs non frigidũ imperat. At-que vinum quod sit minime flatuo-sum, omnib⁹ iuxtà, nedũ solis infan-tibus commodat.

MVlieribus ratio victus esse siccior debet. commodiores enim sunt cibi sicci molliciei carnis: itē potiones meraciores referunt plus ad secundas, fœcunditatémque. Mulierū victus ratio.

Mulieribus sicciorem rationē victus præscripsit: quæ qualis sit, ipse subijcit. Cæterum hęc opinio auctoris controuersa est. Etenim si mulieribus esse humidis præter naturā sit, vt in intēperatis naturis, & oppressis humido morbo, recte illas siccaret. Iam cū eis hoc sit naturale, tuēdum est: nisi quando salubrem mediocritatem excedat. Sed illud nos etiam in viris spectamus. Nanq; & his natiuum est mulieribus esse siccioribus, qui vbi iustam siccitatem superent, ibi eorum intemperiē contrarijs corrigimus.

QVi exercitantur, hyeme his cōuenit currere, & luctari. æstate luctari quidem parū: Exercitationes.

currere verò haudquaquam: ſed deambulare multum in frigore.

Exercitationum differentias, quæ anni temporibus ſunt peculiares, docet: quæ hyeme calfacere valent & exiccare: æſtate, contrá.

QVi curſu defatigantur, his eſt luctandum. Qui vero defatigãtur luctando, currendũ his eſt. Nam ita laborãs partem corporis laſſitudini opportunã, calidam conſeruet, ſimúlq; maxime recreet.

Si ita omnia medici dogmatici cõſcriberent, nõ ſit verborum fundendorum locus interpretibus relictus. Id autẽ dico ſi addita ſit cauſſa, cur ita nos agere iubet: id quod fecit hoc loco Polybus.

SI eos, qui exercitantur maxime, alui profluuia arripiãt, ac excrementa cibũ referant, ſintq; cruda, de exercitationib9 detra-

here debent, non minus tertiam partem, & de cibis dimidiam. Conſtat enim non valere ventriculum aceruum ingeſtorũ ciborum omnem calfacere. Sit his cibus panis, quàm poteſt fieri maxime coctus, in vino intritus: potus quàm pauciſſimus & temperatiſſimus, caueántq; à cibo deambulare. Hoc autem tempore ſemel tantum illis cibus ſumendus eſt. nã hoc modo vẽtriculus maxime incaleſcat, cibóſque vincat. Porrò modus hic alui profluuij corpora, quæ carne ſunt denſiore, frequentior exercitat, vbi cõpellatur homo, quando ita eſt natura cõparata, veſci carnibus. Venæ ſiquidẽ cõſtipatæ cibos non ſuſcipiunt aſſumptos.

Non videtur hic de exercitãtibus ſeſe gratia ſanitatis loqui: ſed de his,

qui munus aliquod obeunt gymnasticũ, vt non detur illis eius omnino abijciendi facultas, aut admodum multum remittẽdi. Propterea de illis detrahit, de exercitatione tertiã partem, de cibis dimidiam. Nam hactenus ſperat cibum ſuperaturos, vt non iam aut cruditate laborent, aut alui profluuio. Cæterum hic quoque ſuo officio functus eſt, quòd eorum adſcripſerit rationẽ, qua adductus, hęc ipſa & quę his ſunt dictata, pręſcripſerit. Nam modus, inquit, hic alui profluuij, hos qui carne ſunt cõpactiore, capit, cum veſci carnibus cogantur. Vbi de gymnaſticis verba ſe facere ſignificauit: hos etenim eſſe carnes cogunt. Ac ſubdit: Venæ conſtipatæ cibos non ſuſcipiunt aſſumptos. Quod obſcure dixit. quare interpretes putare compulſi ſunt, conſtipatas eum dicere, pro induratis, & quæ ægre intenduntur, vt non excipiant alimentum: quod denotari aiunt ex hoc, cibos non ſuſcipiunt. Sed iſtud digeſtionem citius, quàm

lædere concoctionem consueuit, vt excernant illi humida quidẽ, at non cruda tamen. Atqui dixit antè, cruda hos, & quæ cibum referrent, deijcere. Verum quãdo adscripsit rationem, qua fretus ea consuluit, quæ dictauit, & etiamnum tenemur implicati, quid in ijs orationibus fieri existimabim⁹, quibus caussam, quare facere illa nos velit nõ adscripsit? Equidem nisi de his, carne qui sunt compacta, adscriberet, hærere plane me ingenue faterer, vt in multis alijs, in quibus cum nihil eiusmodi adscripserit author, audacissimi isti interpretes quod in mentem venit, pronuntiant. Iam quia eorũ, qui cõpacta sunt carne, meminit, quo commentarentur illi quoque, quod vtile esset de ijs naturis, ansam præbuit. Hi enim citissime plenitudinem aceruant, quòd non satis halitum digerant. Vnde fit, vt cum consistat digestio, prorsus humida reddãtur excrementa. Interdum non humida solum, sed & tenuia, & præter cæteros

in voracibus. Nam cum ex degluti-
tis aliquid in corpus diducitur, resi-
dua prõptius venter perficit. At ve-
ro cum ciborum in eo permaneat a-
ceruus, si quãdo eum degrauent, se-
mel deijcit prius vniuersos, q̃ sint
concocti. Potuit etiam per venarum
duritiam, quia intendi multum non
poterant, digestio impediri alimen-
ti. Verum earum naturarum, quo pa
cto haberi potuit ratio, scribere ip-
sum oportebat, instituto contrario.
Siquidem totius habitus sunt pro-
posita, raritas & mollities, quæ mol-
li frictione, & multa pinguedine in
solijs fiunt. Hic vero symptomati-
bus immoratur, ac eorum negligit
interim veluti radicẽ resecare. Iam
in proposita oratione istud quoque
dixit: constat enim non valere ven-
triculum concalfacere. Atqui si vere
incusauit habitus spissitudinẽ, & ve-
nas cibum non suscipientes, iniuste
de ventriculo conqueritur. Quòd si
hic eum quis vera dixisse admittat,
sequentẽ etiam victus rationem re-

cte esse præscriptam, caussam non di cat. Panem percoctum, potum temperatũ, & pauciorem, semel cibum sumendũ, nec à cibo deambulandũ.

EST hæc quidem præceps natura, & in partem vertitur vtranque, parúmq; diu viget bonus habitus in eiuscemodi corporibus.

Bonum habitum appellauit, compactam carnem habẽtium naturam quasi celeriter variantem. Itaq; subnectit: & in partem vertitur vtranque, hoc est ad bonum habitum, & contrarium. Pręterea addit: Parúmque diu viget bonus habitus in eiuscemodi corporibus. Nam in cõmentarijs in Aphorismos ostẽdimus, bonum exercitatorum habitum, præter sanguinis exundãtiam & carnis, robur conseruare naturalium facultatum. Sed vt illic summam habitus bonitatem esse ostẽdimus lubricam, quæ non cito rara corpora consequũtur: ita in his, qui corpore sunt

compacto, posteaquam velocissime, propter difficilem halitus digestionem his generatur, cogitúrque scilicet euestigio euerti: subito oritur, aboletúrque.

Rarorum & hirsutorum victus ratio.

HAbitus rariores, & hirsutiores carnium esum magis ferunt & labores. Súntque his boni habitus diuturniores.

Corpora hirsutiora cutem obtinent rariorem, itémque genus carnosum, vt in libris de temperamentis didicimus. Quare hæc merito sane cõmodius ait esum carnium ferre, vt quę difflentur: & labores, quòd minus sint lassitudinibus obnoxia, id quod etiam in libris de tuenda sanitate traditum est. Quòd si hæc, & bonos habitus habebũt constantiores, vt quæ non continuo ad summum aspirent.

AC qui cibos postridie eructant, si præcordia his eleuẽtur vt cibis nõ percoctis, diutur-

nior ijs ſomnus prodeſt: verum horum corpora ad alium laborem ſunt adigenda. Vinum bibant meracius, & largius, cibi vero minus ſumant hoc tempore. Liquet enim præ imbecillitate, & frigore vẽtrem non eſſe ciborum multitudini parem concoquendæ.

Laudo hic eum, quòd fini adiecerit, liquet enim præ imbecillitate & frigore ventrem non eſſe ciborum multitudini parẽ concoquẽdæ. Nam quaſi ad id reſpiciẽs, eum ſtudet calfacere, eáque gratia longiorem ſomnum ijs conſulit, item exercitationem, atque vinum bibere, & meracius, & copioſius: præterea, id temporis minus ſumere cibi, quo ijs cõtigit cruditate laborare. Nam cætero quidem ſi exercitent ſeſe & agitent, vinúmque, vt diximus, bibant, nihil eſt, quòd ciborum mediocrem copiam imminuant.

QVos ſitis infeſtat, cibos hi & labores minuant, ac vinum aquoſum bibãt, idq; quàm frigidiſſimum.

Hic expreſſa eſt ita calidarum naturarum nota. In ſexto libro morborum popularium his verbis : *Calidæ naturæ frigidæ potio cõuenit, & quieſcere.* Vt enim appellauit corporis temperamentum, ſubiunxit rationem victus: quam, qui ita ſunt affecti, requirunt. Caput autem eius eſt, refrigerium. Potiſſima in hac diætæ ſumma ſunt, aquæ potio, & vacatio exercitationis. Hoc loco quieſcere aliter expreſſit dicens, & labores minuant. Et pro frigidæ potione ſcripſit, ac vinum aquoſum bibant, & quamfrigidiſſimum. Mihi vero rectius hic pręcipere videtur: quòd potio diluta & frigida cum refrigeret, tum præterea vini obtineat commoditates.

QVibus viſcera ab exercitatione vel alio itinere dolẽt,

his requiescere ieiunis cõfert. Potus sit parcissimus, qui corp⁹ ingressus cieat quamplurimã vrinam: vt ne venæ, quæ visceribus sunt intextæ, contendantur plenæ. Nã phymata hinc, & febres generantur.

Omnia hæc præcepta in lucubratione de sanitate tuẽda abũde tradidimus: & nunc memoriæ caussa, vt in superioribus, ita hoc loco exponemus. Multis enim quanuis febre liberis dolores in visceribus oboriũtur, potissimum in iocinore, vbi à cibo se exercitauerint, vel lauerint. Cuius caussa angustia est visceris trãsitus, ascendentiúmque crassitudo humorum. Etenim inclusi, & resistentes in venarum strictis finibus, qua sanguis ex simis iocinoris partibus transmeat in cauas, tum transitum obsepiunt, tũ venas intendunt, quæ in sima sunt iocinoris regione. Quas ita affectas dolores citra febrem ex-


cipiunt. Hi ſopiendi id tēporis ſunt, quo infeſtant: ac hauriendum ijs aliquid, vrinam quod moueat, & iecur reſerat. Quibus niſi vrina eliciatur, his occaſionibus ſuccedunt phymata & febres.


QVem morbi corripiũt à cerebro profecti, huius primum torpedo caput tenet, vrinámq; reddit frequentẽ, ac alijs affligitur, quæ in ſtranguria ſolent euenire. Hunc illud dies viginti moleſtat. Et de naribus ſi fluat, aut auribus aqua vel muccus, à morbo vindicatur, & quieſcit ſtrãguria. Vrinam autẽ abſque dolore multam reddit & albam: dum diem vigeſimum ſuperauerit, & capitis dolor relinquit hominem: cæterum oculos intendentem ſplendor illum fugit. At viri eſt, qui facultate eſt præditus ratiocinãdi, homini tã-


ti nihil,atq; ſanitatem eſſe,noſſe deſuo cõſilio morbis eſſe pręſto.

Merito habuerunt hãc orationem ſuſpectã.Nonnulli etiam ſemel damnarunt,non eſſe Polybi,& multo minus Hippocratis.Nam orationis omnino non conſtat initium,volens cerebri morbos torpedinem inducere & ſtranguriam.Quæ tamen oratio, vel ſi putet quis , non cunctos eum cerebri taleis morbos cõſtituere,ſed eos ſolos,quos fluẽs de naribꝰ,& auribus muccus & aqua depellit,haud eſt vera.Neque enim ſemper ita rem ſe habere, neq; frequenter apparet.

LIBRI DE SALVBRI VICTVS RATIONE cum Galeni cõmentario,Hermãno Cruſerio Campenſi interprete, Finis.






19-11-20